

Historia morborum qui anno 1702 Vratislaviae grassati sunt.

Contributors

Academia Caesareo-Leopoldina Naturae Curiosorum.

Publication/Creation

Vratislaviae ; Leipzig : Sumptibus Christiani Bauchii (etc.), 1710.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bdzytxpu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3

HISTORIA MORBORUM,
qui
ANNO M DCCII.
VRATISLAVIÆ
GRASSATI SUNT
à
COLLEG. ACADEM. LEOPOLD.
NAT. CURIOSOR. VRATISLAVIENS.
IN LUCEM EDITA.



VRATISLAVIÆ & LIPSIÆ,
Sumptibus CHRISTIANI BAUCHII,
BIBLIOPOL. VRATISLAV.
ANNO 1710.

HISTORIA MORBORUM

611

ANNO M DCCIV

MARATISLAVIAE

GRASSATI SINT

5

COLLEGE AGADEM LEOPOLD

NAT CURIOSOR MARATISLAVIENS

IN PLATEM EDITA



MARATISLAVIAE UPSALA

Scripsit CHRISTIANI RAUCHII

BRUTIOPOL. MARATISLAVIA

ANNO 1710

SERENISSIMO AC REVERENDIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRANCISCO
LUDOVICO,
D.G. ADMINISTRATORI SU-
PREMI MAGISTERII IN PRUSSIA, ORDI-
NIS TEUTONICI PER GERMANIAM ET
ITALIAM SUPREMO MAGISTRO, EPISCO-
PO WORMACIENSI ET VRATISLAVIEN-
SI, PRÆPOSITO ET DOMINO ELWAN-
GENSI, COMITI PALATINO RHENI, BA-
VARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM
DUCI, COMITI IN VELDENTZ, SPON-
HEIM, MANSLÆ, RAVENSBURG, MOERS,
DOMINO IN RAVENSTEIN, FREUDEN-
THAL ET FULENBERG SACRÆ CÆSA-
REÆ REGIÆQUE MAJESTATIS PER DU-
CATUM UTRIUSQUE SILESIÆ SU-
PREMO CAPITANEO

DOMINO,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

ut et

SACRÆ CÆSAREÆ AC REGIÆ
MAJESTATIS IN SUPREMA PER UTRAM-

QUE SILESIAM CURIA CANCELLARIO
ET CONSILIARIIS

*ILLUSTRISSIMIS, PER-ILLU-
STRIBUS, GENEROSISSIMIS DOMINIS,*

DOMINIS

COMITIBUS,

BARONIBUS,

EQUITIBUS,


DOMINIS GRATIOSISSIMIS,

TENUE HOC ET EXILE SCRIPTUM AD
DECLARANDAM PIETATEM ET OBSERVANTIAM DE-
VOTISSIMO ANIMI CULTU CONSECRAT, ET SIMUL
VOTA, UT DIUTISSIME FELICITER REBUS HU-
MANIS MAGNO SILESIÆ BONO INTER-
SINT, PIE NUNCUPAT

SUBJECTISSIMUM ACADEMIÆ NATURÆ
CURIOSORUM LEOPOLDINÆ COLLEGUM
VRATISLAVIENSE.



Benevolo Lectori Salutem!




Cce post longum satis mirum & diuturnum silentium Historiæ nostræ morborum Vratislavien-sium continuationem, *annum scilicet quartum.* Miraberis, nos non eadem, qua cœperamus, sedulitate perrexisse. Initia, inquies, fervebant, nam inter tres annos non tantum *tria historiæ morborum* volumina, sed & *prodromus examinis animadversionum Gr. in historiam morborum Vratislaviensium*, & ipsum quoque *examen & castigationes earundem animadversionum* publicam a-spexerunt lucem; medium tepebat, præter cu-ratam enim ad votum & desiderium multorum novam *Historiæ nostræ editionem observationibus*

quibusdam & appendice, tractatu nimirum de experientia auctam, non nisi observationes practicæ de hydrope pectoris anno currentis seculi sexto fuerunt editæ; Friguerunt haec tenus, fatemur, ultima: Sed, absit jactantia verbo! non deferbuit noster in artem nobilissimam affectus & studium. Crevēre interea nostri labores, ac illius Collegæ, qui onus scribendi in se suscepit. Unus enim fuit, qui more in Collegiis ubique terrarum recepto & manum operi & calamum admovit, ac observationes nostras partim viva voce, partim scripto ipsi communicatas, nominibus nostris ubique additis, historiæ contextui, qui post elaborationem ab omnibus nobis relectus est, magna fide inseruit. Is est, ut Eruditis passim constat ex *Novis literariis Germanicis A. 1706. Mense Novemb. p. 362.* ac *Nouvell. de la Republique de Lettres Mois de Mars A. 1707. artic. 6. p. 345.* &c. noster ab anno præterlapsi seculi nonagesimo sexto, quo relicta Prussia, Patria sua, hic Vratislaviæ sedem fixit, & in Academia Leopoldina Imperiali & multis de ægrotorum salute consultationibus, adeoque rerum nostrarum apprime gnarus Collega D. Christianus de Helwich. Illum & clinici & alii literarii labores

res hactenus occupaverunt. Luctus etiam, cui per mortem filiae sibi unicæ charæ Catharinæ Dorotheæ immersus fuit, animum ejus ita perculit & afflixit, ut per multos menses mente tranquilla his studiis vacare non posset. Cùm verò undique a doctissimis Viris & exercitatissimis Practicis ad opusculi continuationem solicitaremur, prædictus Collega noster horulas illas, quas a clinicis laboribus ac continuis interpellationibus utcunque vacuas habuit, huic labori impendit. Prioribus vestigiis & in hoc anno institimus. Fuit, est, & erit nobis Medicina Jani instar bifrons, altera facie veterum monumenta, altera autem moderna inventa respiciens. Placuit nobis semper indefessum antiquorum observandi studium in Semiotica, Diagnosi & Prognosi, neutiquam tamen vetustatis amore ita excœcati fuimus, ut obliquo recentiorum experimenta, inventa & merita oculo aspiceremus. Credidimus semper, Medici-Philosophi esse, necltere nova antiquis & boni Practici, in succum & sanguinem vertere utraque. Propterea per illa lustra, quibus clinicæ Praxi infudavimus, antiquorum observata venerabundi magni fecimus, modernorum tamen placita neutiquam

tiquam sumus detestati, laudata quoque chymicorum medicamenta non flocci pendimus, omnia vero experientiae propriæ ac judicii lance ponderavimus, ac, quæ dubia sunt, ulteriori disquisitione reservavimus. Hujus propositi & consilii tenaces nudam saltem Dianam, id est, praxin clinicam fausto & infausto eventu porro sistimus. Quemadmodum verò non sine modesto rubore experti sumus, hos nostros conatus viris bonis & in arte facienda exercitatis haec tenus non displicuisse; ita eundem nobis favorem pollicemur, observationesque nostras publicæ luci exponimus, DEUM ex animo precati, ut aliqua ex lectione earundem, Lector erudite, utilitas ad Tc & ægros redundet! Vale!



J. J.



J. J.



Illum Historiæ nostræ
nos ducit ad seculi de-
cimi octavi annum se-
cundum. Per hujus Janua-
rium variis aëris mutationibus
Vratislaviæ obnoxii viximus.

*Constitutio
aëris. pér
tres menses
priores.*

Initia quidem mensis frigore
aspera erant minimè diurno, maxima verò ejus
pars inter nebularum, ventorum, nivium, imo &
pluviarum vicissitudines effluxit. Ineunte Februa-
rio cœlum nubibus & pluviis turbidum. Elapsis
aliquibus diebus serenus nobis illuxit Sol, ita ut die
mensis septimo Veris delicias pergustaremus. A-
mœnitas illa semel iterumque pluviâ & nebulis
parum interrupta, nihilominus ferè ultra mensis
medium duravit. Reliqui dies ferè omnes, excep-
to 23 & 24, vel propter nebulas, vel propter ven-
tos, vel propter nives, vel tandem propter pluvias
minimè grati fuere. Sub initium Martii omnia
gelu rigebant, sed altero mox die terra niye coo-

A

perie-

periebatur, quæ brevi liquefcebatur. Tertius pluviis, nive, ventis horrebat. Et ut brevibus dicamus, toto ferè mense aëris inconstantia erat, modò ningebat, modò pluebat, modò venti spirabant. Decimus nonus & pauci alii e. g. 21, 23 per intervalla erant sereni.

Affectus Rheumatici. Frequentissimi hoc tempore occur-
rebat affectus Rheumatici vel nullâ, aut certè non admodum notabili febri ut plurimum stipati. Quidam ex ægris sub initium horro-
re & rigore concutiebantur, frigus hoc calor
non adeò vehemens excipiebat, ac post aliquot
horas sponte iterum remittebat. Tantum non
omnes dolorem, quem Scholæ tensivum vocant,
circa dextram cervicis partem percipiebant. Is
impedimento iis erat, quo minus ad oppositum
latus caput liberè moverent. Brevi post malum
diffundebatur in scapulas & humeros, ubi tantas
subinde agebat radices, ut ægris per menses mul-
tos negotium facefferet. Innotuit nobis hoc tem-
pore aliquis, qui jam Wolaviæ agit, cui, quicquid
etiam tentaret, (tentavit autem multa) per annos
integros insigni cum tædio hæc molestia devoran-
da fuit. Quæ tantò major erat, quod, sicuti etiam
aliis usu venire solebat, sub mali principio per inter-
valla acutis, lancingatoriis ac vibrativis doloribus
multaretur, à quibus nec dorsum usque ad lum-
bros immune restabat. Nostrum etiam consi-

lium

lium imploravit Æger, cuius pectus à claviculâ ad cartilaginem ensiformem & ad costas spurias infimas atroci cruciatu obsidebatur. Sub manibus fuere, quorum hypochondria dolore non vacabant. In paucis admodum femora & tibias laborasse meminimus, & ut differentiam inter arthritidem & dolores rheumaticos videas, hi non circa articulos, sed loca intermedia carnosahærebant, secus ac in arthriticis fieri solet. Cujuscunque verò generis cruciatus fuerint, sive ex classe tensivorum, sive lancinatoriorum, aut etiam tantum gravatiorum censu existerent, ferè circa noctem ingravescebant; circa horas matutinas minuebantur. Aliqui ex iis de siti conquerebantur, cuncti autem cibos fastidiebant; unus & alter etiam ad vomitum pronus. Rauci erant, in quibus malum circa pectus sedem fixerat. Præmissâ Venæ sectione, cui tempestivè administratæ meritò plurimùm in hoc affectu tribuimus, diaphoresis blanda matutinis horis instituta ægris solabatur. At cum sudoriferis calidissimis massa humorum exagitatur, quod Vratislaviæ non tantum plebi, sed & cordatioribus ferè solemine est, dolores quam maximè intenduntur. Aliqui inconsultò & non sine damno illicò ad sacram Medicastrorum anchoram, Decocta, inquam, lignorum convolant. Quando autem dolor circa lumbos, partes vertebris ad-

iacentes dextras pariter ac sinistras occupat, tum absque omni hæsitatione de Calculi renum præsentia decernitur. Pessimè res antinephriticis, quæ plurimum obesse circumspecta docet experientia, geritur, dolendumque est, quod etiam à Medicis, ac his non infimæ classis, totò die hæc incautis obtrudantur. In externis mirè luxuriant hic locorum, à quibus tamen præstaret vel planè abstinere, vel si ægrorum precibus aliquid dandum fuerit, Spiritus Vini, in quo sapo Venetus cum camphorâ quomodounque solutus, usus vel solus ferè sufficerit, nec tamen rejacerimus misturam Celeberr. Lentilii, quâ dolores fuisse mitigatos satis enorimes recordamur. Ea sequens est:

R. Ciner. clavell. 3ij. pulveris. affunde

▽ fl. paralyf.

carvi.

fœnicul. aa. 3ij

solve & solutioni injice

Θ Xci depurati & in pulverem comminuti. 3j.

solve vitro probe clauso, solutionem filtra & in vitro probe munito serva, nodulo iusuper suspenso in liquore ex

Castor. opt. 3j.

Theriac. Venet. 3ij.

Hâc partes dolentes (cute prius pannis mastiche & succino fumigatis ad rubedinem perfrictâ) illini jubet, opemque non sine ratione præsentiore, quam ex litibus aliis expectat.

Variola. Passim grassabantur etiam Variolæ majo-

ri

ri ex parte benignæ , & non adeò multis funestæ, confluentes si excipias, ut subinnuimus in Historiâ Morbor. An. 1700, ubi historiam Variolarum dedimus, modumque curandi plenè narravimus. Adjicienda tamen censemus paucula illa, quæ hoc anno observata & sequentium annorum experientia corroborata fuere. Promiscuus Decoëti lentiū cum liquiritiâ, semine fæniculi &c. usus fraudi est iis, quorum victus crassior ac viscidior est, aptusque ad lentos humores in corpore accumulandos. In iis variolarum eruptionem nisi impedit, certè retardat. His blandiores Essentiæ ex radicibus alexipharmacis quam optimè conveniunt in aquis cordalibus exhibitæ, & vellemus sanè, ut Sydenhamius unicè abusum notasset, non penitus autem verum Cardiacorum usum proscriptisset & damnasset. Rursus hoc anno observatum fuit, quod humani quippiam idem Vir Clarissimus fuerit passus, dum asseverat, neminem *perire ex Variolis, quod non eruperint*, multos vero mori, quod *cum eruperint, præmature nimis detumescant*. Obversatur adhuc memoriae infans vicini cuiusdam Sutoris, qui gravissimis convulsionibus concussus variolis leviter apparentibus exspiravit. Memini etiam puellam quandam, fratre variolis laborante, tertio morbi die præsentibus omnibus variolarum indicis inopinatò extinctam fuisse, sive apoplexia,

quod parentes credebant, sive quod ad verum proprius accedit, syncope eam abstulerit. Potissimum verò nonnullis hoc anno Diarrhoeæ, quando exarescere variolæ cœperunt, exitiosæ fuerunt. Nobis solicitè in causam Diarrhoeæ hujus inquirentibus patuit, potum tenuem avidè ingurgitatum non immerito in suspicionem culpæ venire. Affatim bibisse omnes facile comperies, qui eo tempore in Diarrhoeam incidunt. Neque tamen inevitabile periculum, modò mature obviam eatur. Theriacal in adultis spem non fallet, in pueris Essentia theriacalis vel spiritus etiam theriacalis cum spir. Nitri mistus in vino exhibitus exspectationi satisfacit. Nondum haec tenus à me impetrare potui, ut Thom. Mayeri methodum imitarer, laudanumque opiatum in Variolis, vel in Diarrhoeâ, vel in aliis symptomatibus exhiberem. Febris illa, quæ suppurationem individuo nexu comitatur, si ultra 14 aut 17 diem extendatur, utique periculosa existit, & quosdam hoc anno in mortem præcipitavit. Quodsi quodammodo 13 die aut post eundem intermittentis typum induat, ut ferè semper fieri solet, licet intermissione brevia etiam duret, cortex Peruvianus singulis duabus horis tempore hoc intermissionis in justâ quantitate oblatus egregium est remedium, quod in manu multorum Empyricorum alias idem est, ac gladius in manu furiosorum:

vel

vel hoc solo nomine laudandus eximiè Morton, qui
vel primus, vel certè inter primos hanc medendi ra-
tionem indice digito nobis demonstravit, majorem
utique meriturus laudem, si non in aliis occasioni-
bus hoc fuisset abusus medicamento, aliosque suo
exemplō in errores ægris noxios induxit. Cer-
tum est, quod in **Confluentibus**, si & hoc addere li-
cet, absque ptyalismo ægri adultiores in summo
versentur periculo; certum tamen & hoc est, quod
hāc salivatione Variolæ in quantitate non minuan-
tur; quod utique argumento est, materiam, quæ
hāc salivatione ex corpore eliminatur, non esse ean-
dem, quæ distinctas Variolas in majorem elevat al-
titudinem, ac rūrsus depressionem, quæ in **Conflu-**
entibus cernitur, non ab exitu salivalis ac serosi hu-
moris pendere, sed ab ampliori & latiori harum per
superficiem cutis expansione.

Nunquam quidem non Apoplexia ali- *Apoplexia.*
quos è medio tollit Vratislaviæ, & de incolis hujus
Civitatis hōc in passu eadem fere dici possent, quæ
de Amstelodarnensibus & Delfensibus suis habet
expertissimus Forestus lib. 10 Observ. 70, maximè
tamen tempore brumali illos opprimit, (epidemi-
cam enim Apoplexiā nunquam hīc locorum ap-
paruisse crediderimus, cuius generis eam fuisse, quæ
An. 1694 & 1695 in Italiâ regnavit, censet Baglivius)
tantoque est frequentior, quantò aëris intemperies
est

est notabilior. Non unam hâc tempestate, tum in hâc Metropoli, tum passim per Silesiam omnem ea edidit stragem, ut non abs re futurum censeamus, si paulò plenius gravissimi hujus morbi historiam fuerimus persecuti. Familiarior ille est apud nos hominibus in virili ac senili ætate constitutis, ac locum hîc habet etiam Aphorîsmus Hippocratis 57 ex sect. 6: *Siderationes maximè fiunt ætate à 40 anno usque ad 60*, modò in aliquâ latitudine, prout substratæ materiæ in doles requirit, & non in rigido, & ad vocum apices nimis adstricto sensu capiatur, quanquam satis cautè locutus sit Hippocrates, addens, *Siderationes maximè fieri eâ ætate*, quam designavit. Paulò rarius infantes, pueros, adolescentes, juvenes adoritur, tum hîc, tum alibi ferè ubivis. Exempla Apoplexiæ in omnibus his ætatis bus à Nobis visa sunt, sed ut iam dixi, minus frequenter. Justus Cortnummius *de morbo attonito* c. 19 p. 74. refert, unicum se vidisse exemplum per vitam in infante. Hoc anno, quô hæc scribimus, non tantum illustris pusio, sed & frater cum sorore in infantili ætate apoplectici interière. Amatus Lusitanus *Cent. 3 Curat. 22* memoratu dignum judicavit, quod infans ex *ictu bombardæ morbum incurrit attonitum*, quem mox Paralyfis & mors secuta sit. Idem, quem antea laudavimus Cortnummius *lib. cit. c. 30 p. 131* auctore est, quod puella Variolis

cor-

correpta, cui carnifex ad febrem continuam debellandam ante solis exortum potiunculam supra gladium suum exhibuerat, ab ense ita fuerit perterrita, ut in morbum attonitum illicò concideret. Conf. *Decur. 2 Ann. 4 observ. 39. Dn. D. Dobrzensky, ut & Medicinae Collatit. Boneti P. 1 p. 166 c. 13.* De Juvene apoplectico extat exemplum apud Tulpium lib. 1 *observat. c. 7.* Præterlapso anno puellam circa 14 ætatis annum horâ septimâ è lecto surgentem, cum vix tria protulisset verba, subito apoplexia abstulit. Major pars eorum, quos apoplexia apud nos invadit, est temperamenti sanguinei aut sanguineo-cholerici. Ejus temperamenti erat Reverendiss. Dn. Prælatus Heinrichov. qui in autumno præterlapsi anni 1701 Mense Novembri, postquam cœlo pluvio ingressus esset iter, & vehementius incanduisset, insultu apoplectico obrutus, & efficacissimis remediis adjuvante divino Numine ita me medicinam faciente restitutus, ut sanus sospesque Vratislaviâ Heinrichoviam redierit. Cum hoc ipso anno denuò ferali morbo correptus esset, rursus quidem medicamentis meis convaluit, at brevi post tertium accessum expertus fatis concessit. Ejus temperamenti etiam erat Reverendissimus Dn. Suffraganeus, gente Italus, familiâ Brunetti, quem fortissima apoplexia post paucarum horarum intervallum extinxit. Achisce diebus, dum hæc scri-

bo, idem fatum expertus est Vir longiori vita ob candorem & cultissimos mores dignissimus Dn. Kretschmerus, Mercator florentissimus. Si quis alius, is certè sanguineæ complexionis erat. Neque tamen ab apoplecticis insultibus planè liberi sunt alterius temperamenti homines, ut multoties hic locorum nobis observare licuit. Id quod & alibi contingit. Ita primus apopleticorum à clariss. Wepfero descriptorum *habitu corporis gracili, capillis flavis & crispis præditus erat, ingenio pollens ac ad iram paulò pronior, quartum quoque idem Wepferus ait vergentem fuisse temperie totius ad calidam & sicciam, coloris fuscum, habitu corporis utcunque carnosum & ad iram vehementiorem.* Celeberrimus Anatomicus Marcellus Malpighius, qui anno 1694 ex apoplexia mortuus, temperamenti erat *ad siccum vergentis, mediocri corporis habitu, & mediocri pariter staturā præitus, referente Baglivio in dissert. 3 de observationibus Anatom. p. m. 115.* Apud Forestum Juvenis nobilis, naturā melancholicus sub noctem in apoplexiā satis fortem incidit. Non vacat operosius inquirere, verumne sit, quod Forestus in Schol. observ. 78. lib. citati notavit, *apoplexiā rarius ab humore melancholico, ut ipse loquitur, oriri, cuius quidem assertioni è diametro adversatur Cardan. Commentar. ad 55 Aphoris. lib. 6 Hippocrat. & omnium maximè Francisc. Boyle in tract.*

tract. de *apoplexia*. Illud quoque meâ multiplici experientiâ fuit confirmatum, quod collo sint breviori & toroso, qui apoplexiā incurront, quod de sene apoplectico expressè notandum censuit Willius *de anim. brut. part. 2 p. 143*. Cujuscunque verò fuerint temperamenti, qui vel hoc anno, veletiam secutis temporibus apoplexiā incurrerunt, in eo ferè omnes convenerunt, quod vel in potu, vel in cibo, vel utroque excesserint, id quod etiam alii scriptores de suis apoplecticis diligenter observarunt. Monachus apoplecticus apud Forestum *crapula* fuerat *deditus & copiosè crassam cerevisiam ingurgitarat*. Delphius quoque quispiam, teste eodem, *bibax eratac victu inordinato utebatur*. De primo quoque suo apoplectico Cl. Wepferus expressè scribit, poculis eum induluisse, de quarto verò fusco illo, cuiusmentionem jam fecimus, prælaudatus Wepferus *p. 15 in observat. Anatom. ait, multum ipsi usum cum Baccho fuisse, & non raro sicca labore pectora fervido maduisse mero*. Tales etiam in auetario recenset idem. Doctissimus Vir Carolus Piso *de prætervisis hactenus morbis affectibusque à serosâ colluvie oriundis sect. 2 part. 2 cap. 5 civem & sartorem Pontanum lautiori fuisse victui assuetum affirmat, ut ferè urbanorum artificum genus omne genio passim indulget, tribuitque abdomini in saginando, quicquid lucelli aut manuum industria,*

aut corporis labor parit affertque. Expertissimus Hollerius lib. 1 de morbis internis p. 27 pictorem & figulum utruinque vinosum apoplecticum factum fuisse narrat. Nec possumus, quin adscribam verba Heinrici ab Heers *ex observ. 18*, quibus homini, quem novum ex veteri monacho Medicum scitè appellat, Mercatori ex synusiâ laffo venæ sectionem svadenti respondet: *Nostrates ingluvie commessationibusque ferè apoplexiam incurrunt.* Quæ profecto, ut & ea Celeberr. Ettmulleri in Op.p. m. 447 apud nos sunt longè verissima. Notorius vini abusus multos & quidem ætatis consistens optimique aliàs habitùs his annis in apoplexiā præcipitavit. His omnibus jungere licet vitam defidem & otiosam. Non facile recordor quenquam apoplexiā incurrisse, ubi non vel manibus fuerit palpabile, inter assumpta & motum corporisque exercitia nullam fuisse servatam proportionem, sed illa modum excessisse, hæc verò defecisse. Eum autem in finem hæc adducenda esse credidimus, ut clarissimè elucesceret, veram ab apoplexiā præservationem non æquè à medicamentis, quam à vitæ sobrietate & debitís corporis motibüs pendere. Ferè exciderat, sæpius à me fuisse observatum, gravidas medio circiter gestationis tempore levi ac brevi iterum evanescente apoplexiā, quæ nulla gravia incommoda secum trahit, fuisse tactas. Ingratum verò

verò sui adventum multoties quibusdam prodromis designare solet apoplexia. Inter primaria indicia fere semper vertigo est, non tam matutina quam pomeridiana, imò & nocturna, quæ multò est deterior, quando cum scotomiâ conjungitur. Multis etiam apud nos familiares sunt torpores & stupiditates præter morem contingentes (de quibus tanquam futuræ siderationis signis jam mentionem *in Coacis prænot.* Hippocrates injecit) antequam apoplexiâ opprimantur. Suspectus etiam meritò est incubus, si paulò frequentius eo vexentur, quibus vertigo molesta est. Mali etiam ominis sunt insueti totius corporis tremores, in primis verò labiorum & dentium stridores in somno, extremorumque perfrigerationes. Subita linguæ impotentia, ea que sæpius recurrens, ferè non fallax metuendæ apoplexiæ τεμυρίγιον existit, jam tum ab Hippocrat. *in Coacis prænotation.* memorata, quo etiam à nonnullis refertur *aphorism.* *40 ex sect. 7.* Aristoteles, aut quicunque autor est *Problematum* *sect. XI* *probl. 54,* ipsam linguæ hæsitantiam partis esse apoplexiā quandam judicat. Unde etiam tum multis aliis, tum hoc anno prælaudato ante Abbatii Heinrichoviensi ex insolitâ linguæ titubatione timendam ipsi apoplexiā subindicavi. Præter linguæ hæsitantiam nihil sinistri præfensit correptus apoplexiâ aliquis Hebrææ linguæ

Professor apud Cortnummum p. 199. *Conf Harde-rum in apiar.* p. 123. Non jam dicemus de oculo-rum corruscationibus, sed solummodo memor-a-bimus hoc minimè rarò contingere, ut quidam ali-quot ante insultum apoplecticum annis, vel de de-ficiente auditu, vel quod adhuc saepius fit, de visu imminuto maximoperè conquerantur, quibus ad-dere licet ex Aureliano frequentem indigestionem, vultūs plenitudinem ac mœstitiam, difficilem ex-cretionem ac tandem vehementem meningis sal-tum in pueris lib. 3 de morb. acut. c. 5. Licet verò hæc & alia plura signa (inter quæ tamen studio tinni-tum aurium citra sinistrum omen hic pluribus familiarem non recensuimus) apoplexiā præce-dant; contingit nihilominus apud nos, ut sanum, etiam dērepente invadat dolor circa caput, & statim voce privetur ac sui impotens sit, verbis Hippocrat. lib. 2 de morb. text. 6 & 21. Simulac verò apople-xia hominem obruit, is subitò 1.) ferè collabitur & sui, ut jamjam loquebatur Hippocrates, impotens fit. Quæ causa est, quode ejusmodi hominem vo-cent sideratum. Hoc autem ipso convenit apo-plexia cum *lipothymia* paulò graviori & *syncope*, quibus correpti itidem non rarò in terram pro-sternuntur, ut & cum epilepsia, cuius signum esse subitum & improvissum in terram lapsum docet Unzerus lib. 1 de epilepsia c. 18; differt verò à Para-lysi.

lysi particulari e.g. linguæ, palpebrarum, brachii, &c. à tetano, in quo universum corpus rigidum ac immobile permanet, *emprosthotono* ac *episthotono*, quando incurvantur omnia vel versus anteriora, vel versus posteriora, nec non à *catalepsi*, quâ æger instar statuæ immotus perstat. 2) Sermonis usu privatur, qui integer adhuc ipsi in primo morbi insultu fuerat. Nam nihil crebrius audias, quam ejusmodi homines aut de intolerabilibus capitis doloribus aut anxietate inexplicabili conqueri. Quibusdam memini usum sermonis per aliquot superfuisse horas, alii paucis verbis prolati illicò obmutuerunt, similes illi apud Clariss. Harderum in *apiar. observ.* 27, qui ex templo domum festino cursu petens hæc verba tantum protulit: *Herr JEsu wie will mir werden.* Confer *Weperum* p. 239. Convenit ergo in sermonis interceptione apoplexia cum paralysi linguæ, epilepsia, suffocativo catarrho, syncope, in quibus omnibus loquela cessat; differt verò à lethargo, nam lethargici valido clamore excitati ad interrogata respondent quamvis incondita & absonta. 3) Corpus apoplectici instar trunci jacet ac 4) sensuum munere orbatum est. Adhæc respiciens Galen. *method. medend. c. 9*, si quis, inquit, sive tribus horis, sive quatuor, sive etiam dimidio tantum hora toto corpore vehementer captus sit, ut neque sentiat, neque moveatur, hunc nos

atto-

attonitum appellamus. Usque adeò autem abest sensus, ut, judice Foresto, si perforaretur brachium & frangeretur, non sentiret. Per hanc sensūs & motūs interceptionem differt apoplexia à catarrho suffocativo, in quo sensus ac motus quodammodo integri supersunt, usque dum mors instat. Eadem distinguitur & quidem ratione motūs ab epilepsia, in quā variis motibus caput ac membra contorquentur; respectu autem sensūs à suffocatione uterinā, nam hystericae audiunt, cum vocantur, sentiunt ac intelligunt, quæ secum agantur & aetā referunt, quā de re legi potest *Codronchius lib. 1 de Christiana ac tutâ medendi ratione c. 21.* Etsi verò apoplecticus nec loqui, nec sentire, nec movere se queat, nihilominus pulsus superest & respiratio, secus ac fit in syncope & strangulatu uterino, in quibus ad sensum cessare deprehenduntur. Magna tamen spiritūs difficultas adest, & tantum non præsuffocatur apoplecticus perinde laborante pectore ac si vinculo quodam adstrictum attolli prohiberetur, in quo stertore aliquam habet convenientiam cum peripnevmonico & empyemato, ac iis, qui spasmo diaphragmatis corripiuntur, nisi aliquis forte cum Bartholeto *in methodo in dyspnœam* laboriosissimam ponere velit in respiratio-
nis difficultate pro varietate morborum distin-
guendā curam. Non ignoramus, quod celebris
quon-

quondam Medicus Horatius Augenius *in epistol. & Consultat. med. Tom. 2. lib. 3. p. m. 398. & Tom. 3. lib. 11 Epist. 11* doceat apoplexiā aliquando sine o-
mni sensu & respiratione contingere. Nostra ta-
men experientia vero magis conforme reperit illud
Expertiss. Foresti *in schol. observat. 72 p. m. 405*: *Nul-
la apoplexia, quatenus est simplex, potest esse sine aliquā
inspiratione, seu respiratione, quia illico, quando spirar-
re desinit, apoplecticus moritur.* Fortassis verò Au-
genius loquitur de apoplexiā cum syncope con-
juncta, cuius exemplum ibidem recitat Forestus, &
mihi præbuit mors matris meæ dilectissimæ. Nec
enim novum est apoplexiā cum aliis morbis con-
jungi. Non tantum enim cum syncope, ut jam di-
ximus, sed & epilepsia complicatur, cuius generis
apoplexiā tum multoties aliás, tum præcipue vi-
di hoc tempore in Fratre Ordinis S. Francisci laico
ac cellæ præfecto circiter quinquagenario, qui cum
alio ex Ordine jocatus repente de lipothymia con-
queri coepit, subitoque concidit sermonis usu desti-
tutus. Horrendis convulsionibus, me aliosque
postquam per aliquot horas obstupefecisset, apo-
plecticus mortuus est. Simile in virgine 22 anno-
rum post vehementissimum capitis dolorem ex-
emplum habes apud Francisc. Rubeum *in noctar.
exercitat. 40.* Confer. etiam Ferdinandum hist. 71 p.
211 & Pisonem p. 126. In nonnullis apoplecticis præ-

ter hæc etiam videas, ut probè loco citato observavit Aurelianus 1) distantiam oris hiscentem 2) vultus conductionem seu spasmodum 3) palpebrarum suspensionem, 4) involuntarias lachrymas. Præ reliquis omnibus ferè dignissimum notatu censemus, quod ipsis ægris vasa circa tempora ac faciem inflata appareant non sine insigni vultu rubore. In hoc, quem delineavimus, statu est apoplecticus. Certum est, apoplexiæ esse morbum acutissimum, adeò ut non immerito Jachinus exclamet: *apoplexia velocissimè viget, & brevissimum, imò imperceptibile habet principium & augmentum, ita ut tota status esse videatur.* Ferè autem fit, ut apoplectici graviores septimum non excedant diem, quod Hippocratis oraculum *ex aphor. 51 sect. 6 & 2 de morb.* apud nos eventu semper comprobatum fuit. Cum verò apoplexiæ vel *perfecte desinat*, quod certè si paulo sit fortior, rarissimè contingit, vel hominem *in alium præcipitet morbum*, vel denique *funesta* sit, non abs re fuerit, observata horum eventuum salutis inquam & mortis signa breviter commemorare. Inter salutis signa refertur 1) respiratio libera, pulsus & faciei color naturali non admodum dissimilis. Profecto prout spiritus aut facilè aut molestè trahitur, morbi modum omnem, ejusque magnitudinem ostendit. 2) si conservetæ excretiones aliquo tempore suppressæ redeant. Ita optimum sa-

ni-

nitatis omen est liberalior hæmorrhoidum fluxus, consentiente ipso *Hippocrate in Coac. prænot. tex. 318.* Quem in censum etiam veniunt menstrua, quibus rite fluentibus apoplexiam sublatam meminit *Zacutus Lusit. de Princip. medic. hist. lib. 1 observ. 33.* Id quod etiam dicendum de ptyalismo in paulò annosioribus, & minimè fallax est illud Sennerti *lib. 1 Pract. med. part. 2 c. 32.* *Nonnunquam apoplexia fluxu phlegmatico oris finitur*, Sennerto suffragatur Barbette, Deckerus, Sylvius, aliique plures. 3) Fau-
stum etiam signum est, si post venæ sectionem æger aliquantulum sese recolligat, ut optimè notavit do-
ctissimus Hippocratis interpres Prosper Martianus. Præsertim si 4) sumpta pocula non per nares aut os refundantur, sed *penitus descendant*, quemadmo-
dum Forestus præclarè observavit. 5) Si acriter aut vellicatus, aut punctus æger, aut tandem intentâ voce compellatus palpebras moveat & labia quodammodo comprimat. 6) Inter signa saluta-
ria refert Aurelianus, si partes quædam saltu erran-
te, i.e. spasmodicè agitentur. Ex doctrinâ Hippo-
cratis, *si apoplecticum febris corripuerit, sanus evadit.* De quânam autem febre loquatur ipse, incertum est, ex *Coacâ 480* liquet, hoc ejus assertum de lentâ intelligi non oportere, hæc enim ex mente ejus, *ad-veniens mortifera* est, ut exemplum filii Numenii probat *i Prorrhet.* Nec cum Foresto de febre ar-

denti Hippocratem loqui crediderim. Martianus contendit, febrim illam esse ex genere ephemera- rum, cui solutionem apoplexiæ tribuit Hippocra- tes, quando scilicet statim, non confirmato adhuc morbo, superveniat. Ego sanè inter plurima apo- plexiæ exempla nunquam aliquem vidi per febrim ab apoplexiâ fuisse liberatum, licet multoties statim post insultum apoplecticum deprehenderim pul- sum verè febrilem. Jam ante fas si sumus, quod ra- rissimè graviores apoplectici perfectè restituantur; nunc addendum, quod vulgò putetur, non malè cum iis agi, qui vitatâ ad tempus morte in aliud morborum genus incidunt. In varios autem morbos transit apoplexia, frequentissimè autem omnium, ut vel vulgò notum est, in paralyisin. Licet verò hâc de re dubitare nemo queat, nihilominus sine fructu non legentur exempla, quæ recitat Tho- nerus *lib. 2 observ. 3. 4.* Lotichius *in lib. observat. p. 163 165 & 172 Piso l. c. p. 121 & Forest. l. 10 obser- vat. 75 & seqq.* : sequitur verò apoplexiā par- alysis tam dextri quam sinistri lateris, & illius quidem frequentius, quam hujus. Apoplexiā Illustriss. Baronis 66 circiter annos nati, ante semestre spa- tium non tantum paralyxis, sed & inexpugnabilis dormiendi necessitas comitabatur. Pes dexter ejusdem, ut & aliis decrepiti cujusdam senis ephi- drosi, semper madebat. Abit etiam apoplexiā ali- quan-

quando in epilepsiam, sicuti evenit ædituo alicui
 apud Forest. lib. cit. obs. 80. Ante 4 annos post a-
 poplexiā gravem melancholiā in sene aliquo
 notavimus. Licet verò apoplectici evadant inter-
 dum, profunda tamen læsionis vestigia verè sem-
 per in iis remanent. Malpighius post *40 dies liber*
evadens ab apoplexiā & paralysi, summoperè lesus in
memoria & ratiocinio, & quavis minimā de causā
in lachrymas solutus fuit, teste Baglivio l. c. Posterius
 hoc etiam in Clarissimo Aristotelico Philosopho
 Melch. Zeidlero post apoplexiā observare licuit.
 Nunquam quoque à metu recidivæ liberi vivunt.
 Ex levibus sanè occasionibus denuò apoplexiā in-
 cautos opprimit. Postquam signa salutis in apo-
 plecticis recensuimus, etiam tristia ac mortis præ-
 nuncia tribus verbis commemorare juvat. Inter
 hæc 1) loco est stertor magis ac magis ingravescens,
 2) spuma circa os. 3) si ab usurpatis sternutatoriis
 æger non sternutet, quamvis sternutatio ipsa non
 provocata aliàs non magni quicquam promittat.
 4) Cum nullum post V. S. levamen in apoplectico
 advertitur, imò si poste eandem celebratam res in
 deterius labuntur, non est dubitandum, quin mors
 post paucarum horarum intervallum sit secutura.
 5) Tremor etiam juxta Mœbiūm in apoplexiā & le-
 thargo malus est. 6) Facies cadaverosa ac tandem
 7) sudor frigidus, præsertim superiorum partium

est indicium certum naturæ succumbentis. Tantò verò magis calamitosa signa hæc omnia existimanda sunt, quando æger est decrepitus, naturæ debilis, vel antecedentibus morbis exhaustus. Post mortem non rarò satis copiosè sanguis ex corpore effluit, præcipue in iis, quibus assuetæ sanguinis evacuationes fuere suppressæ. Insigne ejus exemplum prostat apud Fabricium Hildanum *Cent. 1
obseru. XI* de aurifabro familiarem sibi narium hæmorrhagiam amuletō quodam supprimente & per hoc artificium in apoplexiā, ut probabile est, lapsō, ex cuius naribus & ore post 12 ab obitu horas copiosissimè sanguis effluxerit. Ex ore senis septuagenarii plurimum cruoris manavit apud Wepfērum *p. 238.* Id quod etiam toto die passim observare licet. Si in causas remotiores satis frequentis apud nos apoplexiæ placeret inquire, aërem quoque symbolam suam conferre deprehenderemus. Unde tūm potissimum, sicut etiam hoc anno factum, apoplectica pathemata crebriora sunt, quando aër frigidior est, aut imbribus & nivibus madidus. Et in hâc re tantò magis confirmamur, quod videamus etiam in aliis Provinciis sub ejusmodi aëris constitutione mortales apoplexiā corripi. Jam ante mentionem fecimus, annis 1694 & 95 Romæ & in Italiâ non exiguam hominum partem periisse apoplexiā, aitque Baglivius *Diss. 3* tam frequentes fuisse

fuisset hujus casus, ut *instantis mortis horrorem quo-
vis ferè momento viventibus incuterent.* Causam
verò illius frequentiæ etiam in aëre quærit *loc. cit. p.
117.* Germaniæ frigidum clima accusat in *Consil.
Mercurialis*, cum de frequentiâ apoplexiæ dispu-
tat. De pluviosâ aëris constitutione legendus est
l.c. p. 415 Forestus. Ferdinandi Medici Frater, vi-
gilum Præfectus, cum per 15 dies cœlō nubibus ob-
ducto iter fecisset, apoplexiā incurrit, teste Ferdi-
nando *p. 211.* Monachus Franciscanus continuò
per integrum diem in seram usque noctem in cellâ
cerevisiariâ commoratus, ipso etiam prandii ac
cœnæ tempore, apoplecticus factus est, exemplo
memorabili, quod aër frigidior & subterraneus ad
apoplexiā concitandam concurrere possit;
Quod etiam, teste Wedelio, serenissima Persona in
senio constituta, aëri frigidiori & subterraneo ex-
posita, suo dāmno probavit. Senior in Ecclesiasti-
câ dignitate constitutus adulto jam autumno sub
cœlo frigidiori pescationi ab horâ octavâ matutinâ
usque ad secundam ferè pomeridianam in loco uli-
ginoso adstantis in paralyſin manūs incidit. Multò
autem major hominum pars, ut credimus, culpâ
assumptorum apoplexiā incurrit. Et vulgus qui-
dem apud nos viscidis ac lentis cibis, quos jure ac-
cusat Wepferus *p. 203*, affatim vescitur. Opificum
omne propemodum genus frumenti spiritus va-
riis

riis lenociniis ad palati delitium corruptos jejuno ventriculo ingerit. Paulò ditiores manè vinum absynthites, de quo Goclenii observ. nota, aut aliud aromaticum ingurgitant. Qui lautioris adhuc conditionis sunt, Ungarici vini cyathos integros creberimè ac per multas horas strenuè evacuant. Hæc autem omnia quantam vim ad concitandam apoplexiām habeant, in propatulo est. Certè hīc non ignota sunt exempla apoplexiæ summam inebriationem secutæ. Celeberrimus Roflincius memorat Ratisbonæ Principem quendam in Comitiis ex nimio acidularum usu lapsum in apoplexiām, qualem etiam describit Francisc. Hildesheim *spicileg. 6 p. 526.* Tres mihi apprimè noti sunt, qui acidulis in æstate usi, post aliquot menses ex apoplexiā sunt mortui. Invaluit apud nos jam per aliquot annos empyricus planè acidularum abusus, unde optandum, ut alii damno aliorum cautijs mercari discant. Tenet etiam nostros insatiabile cacoëthes pulveris sternutatorii. Hoc & infimi subsellii & sublimioris etiam ordinis viri singulis penè momentis nares inferciunt. Si itaque non laborat fides observationis Anni 4 Dec. 2 *Ephemerid. German.* quâ docemur, à pulveretabaci assumpto coma somnolentum, tandemque apoplexiām esse secutam, evidens est, quanti res sit periculi sine intermissione pulverem hunc intrudere

nari-

naribus, & id tantò magis, postquam felix Celeberr. Bohnii industria anatomica nobis detexit, eum etiam ad intima corporis penetrare ac pulmonibus ipsis labem affricare. Non minor error committitur in attrahendo peti fumo, quô, mirum est, quam multi unicè delectentur. Non pauci, ubi vix pedem lecto extulerunt, statim ad has suas delicias convolant, & per magnam diei & noctis partem tædia sua hoc nepenthes vino fallunt, ingenti utique & temporis & sanitatis dispendio. Quotquot his annis ab apoplexiâ necatos memini, ad unum omnes ultra modum hōc fumo se fuisse passere solitos receivi. Parum profecit Angliæ Rex Jacobus VI in Misocapno graviter suos ab usu dehortatus ; multò magis nos surdis narrabimus fabulam, tametsi solum abusum seriò dissuadeamus. Vir Clariss. Dominus Johan. Hellwig. in *Observ. Phys. Med. obs 45* narrat, duos fratres, quorum alter 17, octodecim alter exhauserat fistulas apoplecticas instar prostratos fuisse, & unum eò momentò mortuum, alterum verò per bihorium, vel trihorium miserè spirasse & animam egisse. Si illud, ut non dubitamus, verum est, satis mirari non possumus, cur Vratislaviæ non quotidiè multò plures apoplectici discedant, cùm multos invenias, qui in hoc certamine par istud fratum longè superent. Accedit ad cumulum malorum vita pigra ac sedentaria,

taria, quam inter congerrones & commilitones suos agunt hi fumi ductores, cum sola motus intermissio ad apoplexiā satis disponat. Certò cūdam apoplexiæ generi obnoxios esse, qui perpetuo torpent otio, ex solerti observatione Wepferi in libro saepiusculè citat. p. 203 didicimus. Paradigma exhibit curiosissimus observator p. 264 in nobili viro multū in evolvendis historiis occupato, qui ob mollem corporis vastissimam vix alio labore quam tardigrada deambulatione corpus exercuit. Ne hoc effugit diligentiam expertissimi Foresti, qui aliquoties in suis observationibus de apoplecticis, otiosæ vitæ eos fuisse mancipatos providè animadvertisit. In memori pectore est, virum egregium post somnum meridianum apoplexiā fuisse percussum, non auderemus tamen ejus injicere hoc loco mentionem, nisi prælaudatus Wepferus p. 211 nobis faciem prætulisset. Multo evidenter est ratio, cur declivem inter dormiendum corporis situm atro carbone notet Lowerus in doctissimo tractatu de corde c. 2 p. 103; nam intellectui obvium est, quomodo hōc corporis situ pars seri in cerebrum deponatur, & tandem ita hīc accumuletur, donec vel in apoplexiā, vel in alios fonticos morbos hominem conjiciat. Consuetæ sanguinis evacuationes diu suppressæ via regia sunt ad feralem hunc morbum. Irrepsit in hanc civitatem aliquod hominum occul-

tio.

tiorum genus, qui serio dissident, ne qui quinquagesimum ætatis annum excesserunt, usum V. S. & scarificationis continuent, qui, quantum in ipsis est, id agunt, ut hæmorrhoides fluentes supprimantur, istud verò præconceptis nostratium opinionibus apprimè convenit, & hinc pronis auribus illorum dicta excipiuntur ; alii verò, qui gravissimis rationibus ac experientiâ fulti nænias illas explodunt, vix audiuntur. Suppressæ narium hæmorrhagiæ apoplexiæ post se trahentis exemplum ex Hildano jam recitavimus. Narrat idem *Cent. 3 observ. 12*, mulierem tributum menstruum per nares & os satis copiosè reddidisse, hâc verò excretione impeditâ eandem in apoplexiæ incidisse. A suppressione lochiorum ortam apoplexiæ refert Nicolaus Fontanus *respons. Et curat. medic. lib. 1 p. 25* & Ballonius in *Paradigmat. p. 318*. Nec dispar est ratio hæmorrhoidum. Eò, si non nullos sequaris, Hippocrat. respexit *Coac. prænotion. sect. 3 text. 66* his verbis : *Ex hæmorrhoida parum apparente vertigines aborta parvam ac modicam siderationem significant.* Amatus Lusitanus *Cent. V c. 3* exemplum refert. Ausimus certò affirmare, per aliquot annos vix unum alterumve apoplecticum apud nos elatum esse, qui non vel artificiales sanguinis ventilationes omiserit, vel spontaneas ejus excretiones inhibuerit. Inde verò manifestissimè di-

lucescit, quomodo strangulatoriæ jugularium vasorum cohibitiones apoplexiā accersere possint. Quid de nimiâ succi genitalis profusione dicemus? An & illa ad apoplexiā concitandam concurrit? Judicium nostrum meritò suspendimus, nihilominus tamen præterire non possumus, quod de Nobili quinquagenario Heinric. ab Heer in *Observat. Med.* 9 p. 103 memorat. Is ducta virgine suæ sortis inter uxorios amplexus apoplexiā corripitur, sed ab eadem industriâ Heerii liberatus cum post paralysin ad furias illas reverteretur, in uxoris sinu, ipsâ non advertente, dulci periit morte. Non dissimili fato defunctus est Dan. Beckherus, Med. D. ac Profess. Regiomontanus A. 1670, qui cum ad secunda vota transiisset, ne in se jaceretur illud Juvenalis:

*Facet exiguo cum ramice nervus,
Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit:
sumsit aphrodisiacum, ostensurus Juvenculæ,
quam duxerat, se virum esse, sed in certamine illō
succubuit, ac in thalamo tumulum sibi paravit.
Enim verò magis fit verosimile, hos Duumviros
non apoplexiā, sed syncope esse extictos. Ani-
mi pathemata graviora apoplexiæ periculo non
paucos subjecerunt. Ex mœrore & subita animi
consternatione matrona apoplexia periit apud Hil-
dan. Cent. 6 Observ. 12. Præ terrore ex terræ mo-
tu Beroaldus libello de terræ motu incidisse aliquos
apo-*

apoplexiā memoriæ prodidit, nec defunt, qui tertii iectu bombardæ subito exanimati fuerunt apoplexiā, ut Lusitan. & Camerat. *in Sylloge memor ab auctores sunt.* Multos, qui occasione fulminum attoniti sunt facti, congesſit Schenkius *in observat.* Celeberrimus Wedelius testis est, literatum quendam senem accepto tristi de filio absente nuncio territum lethali apoplexiā fuisse correptum. Ira-cundiæ præcipites gravissimæ etiam à vulgo accusantur tanquam causæ apoplexiæ. Et profectò vix reperias Medicum, in praxi occupatum, qui non adhibere possit verba illa Foresti *Lib. IX observ. 70:* *multos conspeximus, tam viros, quam mulieres ex ira vehementiori & animi percussione in apoplexiā incurrisse.* Porrò vehementiores capitis & cerebri concussions saepius in apoplexiā præcipitant homines, quâ de re videsis Gregor. Horstium *lib. 2 de morb. capit. Observ. Medic. rar. 63.* Hildan. *Cent. 4. Observ. II.* Wepferum *in auctario p. 348.* Wedelium *in pathologia med. dogmat. p. 334.* Nicolaum Fontan. *Disc. 6. fol. 92.* Dum verò passim exempla obvia sunt de apoplexiā colaphos vehementiores sequutâ apud Benivenium, Hildanum, Schenckium, Felicem Platerum aliosque, non difficulter assequimur, quod etiam alapis violentis cerebri commotio excitari queat. Quorsum refer etiam casus violentiores apud Heerium *Obs. 21.* Wepferum *loc*

citato *histor.* 1, 2, 3, 6, alias capitibus aut partium ei vicinorum lœsiones ac vulnera, de quibus jam loqui non vacat, sicuti neque de tumoribus sive venereis, ut apud Welschium, sive aliis è capite ablatis apud Thom. Bartholinum in *Observ. Cent.* 4 *hist.* 86. Prætermittimus etiam vermes, de quibus Zactus Lusitanus *Praxi admiranda lib.* 2 *observ.* 42 videndus, item scabiem retropulsam, de quâ legatur *observatio 58 anni i Decur.* 1 *Ephemerid. German.* p. 136; tantum adhuc addemus verbum de flatibus, quos apoplexiam producere posse credidit Hippocrates *sect. 19 text. 4 de flatibus* scribens: *Si plurimi flatus per universum corpus discurrant, totus homo sideratur, si per partem, pars illa percutitur, atque ubi abierint flatus, cessat & morbus.* His verbis non crederemus, nisi aliquoties vidissimus ablationem motū voluntarii ad breve tempus conjunctam, cum stupore leni absque difficultatem respiratione, quæ aliquam apoplexiæ imaginem exhibet. Conferri hīc meretur Francisc. Valleriola *E. M. l.* 1 p. m. 74 & Dovinatus *Apolog. l. 3 c. 1.* Post mortem in apoplecticis inspectione factâ, in aliis quidem effusionem sanguinis, in aliis verò serosæ substantiæ reperi, res est passim nota; hinc verò certum est, rectè inferri, motum sanguinis in apoplexia intercipi, atque ideo vel sanguinem sincerum è ruptis vasis excidere, vel serosam transfudare

sub-

substantiam. Carolum Fracassatum in *Dissert.*
Epist. de Cerebro testem advocamus omni exceptio-
ne maiorem, qui jussu magni Ducis Hetruriæ cor-
pora ex hoc morbo denatorum secuit, cui Wepfe-
rum summi judicii, experientiæ ac fidei Medicum
& Anatomicum jure optimo jungimus. Per-
quām verò notabile est, quod causæ intercepti
motū sanguinis non in cerebro, sed frequenter in
corde apoplecticorum deprehensæ fuerint. Ita
e. g. pinguedo in sinistro cordis ventriculo à Bar-
tholino *Cent. i Epist. 2* reperta. *Polypum cordis*
grumumque sanguinis in Carotides delatum Crato
reperit. *Corpora calculosa viscida ac glutinosa in*
omnibus, quotquot quidem aperuerit, se vidisse re-
fert Greifel in *Miscell. Curios. Dec. i an. i p. 156.*
Quando itaque aut sanguis extravasatus cum
grumis, aut serosa colluvies cerebrum vel extus
vel intus largiter inundavit, istud subsidere & per
hanc compressionem ac subsidentiam, de quâ Bonet.
in sepulchr. consulendus, ad operationes suas
reddi ineptum, valde est credibile. Cum vero
sanguis concretus vel in ventriculis, vel in pulmo-
nibus tantum deprehenditur, apoplecticus stupor
in cerebro exinde probabiliter nascitur, quod san-
guini arterioso liber aditus ad cerebrum sit præclu-
sus. Quid enim ligatâ arteriâ etiam in aliis parti-
bus fiat, à Lowero aliisque ad oculum est demon-
stra-

stratum. Aditus autem sanguini arterioso tanto magis præcludetur, si arteria fuerit rupta, apprimè enim notatu digna est observatio Fracassati in *Diss. Epistol. ante laudata ad Malpighium p. 135*, durante adhuc motu cordis vasa dissilire facta in vasis pulmonariis obstructione. Admiratione tamen dignum est, quod interdum nulla evidens apoplexiæ causa in defunctorum corpore post mortem deprehendatur. Illustre ejus rei exemplum sifit Clariss. Willis *de animâ brutorum part. patholog. c. 8. in fine p. m. 43.* Verùm pluribus egimus de apoplexiâ, quam ferè huic nostro instituto conveniebat. Jam de curâ breviter aliqua erunt dicenda. Varia illa molimina ad excitandos apoplecticos etiam vulgo nota sunt: at nondum à nobis visi, qui acclamatioñibus, vellicationibus, frictionibus in plantis pedum &c. crinium evulsionibus, concussionibus &c. in apoplexiâ paulò graviori adjuti fuerint. Quantum etiam est inane in suffitibus, quantum in balsamis quoçunque etiam titulo superbientibus. Næ eum, qui in his spei anchoram figit, valdè ignarum esse oportet eorum, quæ apud ægros gerantur. Quam verò lepidum est universaliter præcipere, ut linguæ ac palato theriaca Andromachi vel mithridatium cum castoreo &c. mixtum & in aquis appropriatis dissolutum illinatur, cum os saepè arctissimè clausum sit.

Tale

Tale quid nuperrimè nobili Matronæ per quinque dies contigit. Non hæc eō fine dicuntur, quasi omnia ista damnemus; nam sæpiissimè pro re natâ ipsimet his usi sumus: sed solum hæc ad sciolorum quorundam arrogantiam, imperitiam ac improbitatem convincendam pertinent. His enim, ubi unum horum omiseris, planè solemne est, clanculum funestum exitum adscribere Medici seu oscitantiae, seu ignorantiae. Ad validiora, si hoc ab adstantibus impetrari apud nos posset, descendendum videretur. Per admota plantis pedum ignita ferramenta ad vitæ officia in xenodochio non nullos fuisse vocatos, quos nullum quantumvis validum remedium excitaverat, legere licet in doctissimo de subitaneis mortibus opere Celeberr. Lancisi lib. 2 c. 5 §. II. Et certè, ut ipse commemorat, jam multi ante eum Practici laminarum ignitarum futuris admovendarum meminerunt. Lancisius verò credit, *presentem ignem validissimè irritando fines nervorum, maximum in iisdem tremorem & subtilissimarum partium excusum per eorum filamenta inducere posse, qui ad usque principium propagatus fortiter etiam excutiat, quicquid cerebro & nervorum ostiolis pertinaciter hæret, & per talem duntaxat maximam nervorum succussionem & particularum ignearum penetrationem amoveri potest.* Post enematum usum, vel ad V. S. vel ad vomito-

E rium

rium progrediendum esse censemus. Vomitorium
 non nisi illis offerre ausi sumus, qui phlegmatici, ut
 ajunt, temperamenti sunt, aut ante hac excretioni-
 bus serosis obnoxii vixerunt, multumq; modo tuf-
 si humidâ, modo coryzâ affecti, aut ulcerationibus
 diuturnis exerciti fuerunt. His in apoplexiam la-
 psis, ubi serosæ ac mucidæ excretiones per memo-
 rabile tempus cessarunt, nec virium imbecillitas
 fuit impedimento, sine morâ exhibuimus emeti-
 cum, nec dubitavimus hoc in casu cum doctiss.
 Langio Eli Oli primas tribuere. Floridis ac san-
 guineis diætâ aromaticâ & vinosâ usis illicò vena
 pertusa fuit, quicunque demum exitus sequeretur.
 Utinam omnibus Medicis expertissimi Sylvii ver-
 ba in memori essent pectore: *Judico prudenter &*
exactè posse imò deberi in omni apoplexia (præsertim
 verò sanguineâ) *institui VStionem, & pro ægrorum*
constitutione sanguinisque copiâ in vasis existente
fatis largam sanguinis evacuationem. Non diffite-
 mur bis terve evenisse, ut post apertam venam apo-
 plektici, qui adhuc initio balbutiebant, usum sermo-
 nis amitterent, sed non nisi garrulis ac stultis mul-
 erculis condonanda infictia est, credere, quod apho-
 niæ ipsiusque mortis causa sit celebrata V.S. Imò
 non sine causâ suspicatus sum in ultimo mihi ob-
 veniente ægro rupta fuisse vasa sanguifera, & hoc
 tanto verisimilius, quod ante VStionem tota pubis
 regio

regio & partes vicinæ, ut referebat, quæ enema injiciebat, sanguine essent suffusæ ac liverent. Inter interna hucusque ex receptâ methodo, quod non meliora suppeterent, sæpiusculè usus sum sequenti Potiunculâ:

R. ∇ antapoplect.

lavend.

salviæ aa. $\frac{3}{ij}$.

\bowtie Θ xci $\frac{3}{ij}$.

lil. convall. $\frac{3}{ij}$.

Ell. castor. $\frac{3}{ij}$.

succin. $\frac{3}{ij}$.

fyr. stœhad.

ceras. nigr. aa. $\frac{3}{ij}$.

M. F. P.

Nec minus crebro in usu fuit liquor CC. succin. aut ω cephal. Mœbii, qui sub ω apoplect. D. T. nomine in quibusdam officinis venalis prostat. Nec negleximus vesicatoria, imò & alia omnia, quæ à Medicis præscribuntur facienda. Non vero apud cordatos, ut speramus, nobis fraudi fuerit ingenua confessio, omnia ista in paulò vehementiori apoplexia nihil quicquam prodesse. Celsissimus quispiam Princeps in familiari mecum colloquio incidebat in mentionem pilularum, quarum virtutem in apoplexiâ multum laudabat. Dùm obiter quædam earum ingredientia commemoraret, etiam verbulum de opio modo planè singulari præparato ei excidebat. Protinus memoriæ obversabatur candidissimi Ludovici

observatio consimilis , sed de quâ ex propriâ experientiâ nihil addere licebat, quamvis opii usus in apoplexiâ admodum mihi sit suspectus. Cum verò hodiè usitata apoplexiæ curandæ ratio adeò parùm succedat , sæpius in mentem venit prisca methodicorum methodus, quæ modernæ e diametro opposita est. Nam locô frictionum, vellicationum, crinium evulsionum, imperat hæc articulorum blandi tactus continentiam, id est, svavem contrectationem; Nos hodiè spirituosisimis aquis ac odoratis nervinis verticem, tempora, vultum, spinam dorsi imbuimus ; methodici olim medias capitis partes & collum limpida lanâ tegebant, & fomenta olei dulcis & calidi adhibebant, & expressis ex aquâ calida spongis vultum fovebant. Nos hodiè spirituosa ac volatilia apoplecticis exhibemus, illi simplicem aquam, sed calidam, aut mulsum infundebant. Nos acribus clysteribus alvum irritamus; illi clystere simplici ac blando intestina crassa eluebant. Verbo, nobis tonica & strictoria; illis relaxantia ac stricturam nimiam solventia curæ prora ac puppis erant. Methodici, quod mireris, post declinationem passionis tantum aliquod spirituosum, scilicet vinum ægris suis indulgebant. Meretur omnino hæc de re legi Cœlius Aurelianus lib. 3 acutor. cap. 5 in editione quidem Lugdunensi satis accurata p. 180 & seq. in no-

vâ vero elegantissimâ p. 202 & seq. De hâc priscâ Apoplexiæ medendi ratione judicium ferri accuratum nequit, antequam eam in usum aliquoties vocaveris, in usum autem ut vocet quisquam, non temerè fuerim autor, quomodo cunque cadat res, nisi animum planè adversus calumnias, vulpinas fraudes ac mille technas obfirmaverit. Quanquam ut nihil quicquam dissimulem, rationi & recentissimis principiis methodicorum via, nisi me omnia fallunt, non adeò adversa videatur. Mira fuit ratio, qua Cardinalis Richelius Patrem Josephum Capucinum, notum in Galliâ, in totâ ferre Europâ nomen, cum eum secundâ vice apoplexia an. 1638 die 18 Decembr. obruiisset, excitare voluit; nam, ut in hujus vitâ scribitur, intentâ voce subinde Cardinalis acclamavit: *Courage Pere Joseph, courage, Brisac est à nous.*

Hoc tempore passim audiebantur *Dolor Aurium.* querelæ de aurium dolore acutissimo. Laborabant illo potissimum Juvenes sanguineæ constitutionis, unus & alter etiam virilis ætatis. Vehe mens dolor excruciatæ ægros parte intimâ & imo meatu audiendi. Et licet verum esse fateamur istud Plini, *quod siuis cuique dolor ad præsens atrocissimus videatur,* non possumus tamen non Galeni judicium probare, qui differentiam quandam magnitudinis doloris juxta locos, in quibus

fiunt, faciens auris dolorem post acerbissimos colli cruciatus primo statim loco ponit. Describunt autem hunc suum dolorem ægri tanquam pulsatorium & lancingantem, qualis solet esse, quando inflammatio circa membranas & arterias oboritur. Præterea vehemens sensus ardoris adest, qui vetat originem doloris ab acribus & saniosis humoribus arcessere. Febris etiam accedere sivevit. Quanquam verò dolorem hunc periculo carere minimè asseramus (cum facile continuatione quadam per nervum & membranas ad cerebrum usque propagari queat) nec detrahamus illis observationibus fidem, qui narrant, quosdam ex immani isto cruciatu repente perinde atque apoplecticos esse mortuos: apud nos tamen, quantum meminimus, malum hoc non facile cuiquam perniciem attulit. Intra septem plerumque dies suppuratione finitum est. In sanguineis adolescentibus etiam citius exquisitissimum dolorem per largam narium hæmorrhagiam fuisse sublatum recordamur. Sub initium curæ discussionem inflammationis moliti sumus exhibitis blandis diaphoreticis, mane quidem in formâ guttarum, sub noctem verò in pulvere, achoris matutinis placidum sudorem exspectare jussimus. Quapropter commendavimus regimen ad uberiorem transpirationem promovendam aptum, id est, corporis continentiam absque

que jectigationibus, & potus calidos, puta infusum
Theé, Decoctum Caffée, C. C. juscula hordeacea.
&c. Externè pulverem ex vegetabilibus resolventi-
bus cum Camphorâ mixtum, uti & pulverem,
quem Clariss. Ludovici in erysipelate commendat,
applicavimus. Ab infusionibus oleorum rutæ, cha-
momillæ, ovorum, scarabæorum, amygdal. scorpi-
onum abstinuimus, posthac multiplici usu edocti
olea hæc noxia esse, quo ad spes supereft discutien-
dæ stasis sanguineæ, dum in proposito est, emolli-
tione membranarum uberiorem affluxum sanguini-
nis ad partem affectam concitari. Noti isti spiritus
otalgici Minsichti & Barbette sensum doloris sub-
inde augere deprehenduntur. Quando autem ex
voto discussio stagnationis & inflammationis non
succedit, sed ex pulsatione in auribus increbescen-
te, febri majori ac deliriis intercurrentibus, suppura-
tio phlegmones instare colligitur, ad fokus progressi-
sum ac cataplasmata ex radice altheæ, fol. malv.
fl. melilot. chamom. sem. fœnugr. lini, crocô, me-
dullâ panis triticei, vitell. ovor. &c. Res in vado
est, simulac pus album, leve & æquale effluxerit,
febris ac deliria remiserint, somnus placidus & pro-
fundus fuerit secutus, cum signis coctionis in urinâ.

Tinnitus aurium frequens apud nos *Tinnitus*
malum, de quô primô Historiæ anno egi- *aurium.*
mus, sed circa finem hyemis hoc & sequentibus
an-

annis longè fuit frequentissimum. Huic hypo-
chondriaci potissimum apud nos obnoxii agunt.
Celeberr. Wedelius *lympham elasticam halituosam,*
rarefieri aptam ac minus placide motam accusat, &
præter pilulas ex resinâ turpeth. scamm. extracto
agar. pulv. rad. jalap. cinab. nat. ol. fœnic. commen-
dat mixturam ex Ess. carminat. 3ij. Tinct. ♂t. bal-
samic. ~ ♂l. cephal. aa. 3j. ol. citr. gt. ij. ut & pulv.
stomach. Querc. c. 3ij. conch. pp. cinnab. nat. he-
pat. rub. Dresd. aa. 3j. ol. mac. gt. j. Tentavimus
in rebelli malo efficaciam horum remediorum,
sed apud nos quidem illa exspectationi non usque-
quaque satisfecerunt. Irrito internorum usu fa-
tigati nostratum quidam majorem à topicis ex-
ternis, quæ tamen multo parcius quam olim
commendare s̄evimus, præstolantur opem, sed
frustrà; Imo sat in proclivi esset exemplis docere,
quam noxia fuerint. Hic autem non possumus
non atro notare carbone eos, qui auribus non
probè à fordibus purgatis varia in notabili qua-
ntitate, & quod mireris, frigida, crassa, lenta ac vi-
scida intrudunt, & paucis interpositis horis nova
subindè, non abstersis prioribus, infundunt, id ve-
rò cum damno ægrorum fieri certum est.

Febris mali- Unus & alter hōc tempore etiam fe-
gna. bri malignâ detinebatur. In iis, quibus ea
funesta fuit, mature admodum tremulum in
mani-

manibus ac labiis motum observare licebat; is brevi post ingravescebat; scilicet mirè incipiebant manum dimovere, palpabant, quasi aliquid captarent. Ferè taciturni jacebant demissis palpebris, & dum dormire viderentur, aliquid submurmurabant, nunquam tamen cessantes à gesticulatione manuum, ex quâ etiam eos delirare concludebamus. Biduò ferè ante mortem taciturna hæc insania in turbulentam mutabatur, exiliebant, clamabant, rixabantur; paucis tamen ante fatale momentum horis iterum ad sanam redibant mentem. Nec minus periculosè circa initia Martii ex malignis febribus decumbebant sanguinei quidam in floridâ ætate constituti. Ab initio statim variis obnoxii erant per intervalla vicissitudinibus. Modo per horam unam atque alteram omnia erant tolerabilia, mox iterum graviori æstu & anxietate urgebantur, sed remissiones illæ ac exacerbationes non in stata incidebant tempora, quod alias continuis solenne est, quæ circa noctem exacerbantur, horis matutinis remissione ægros in spem erigunt meliorem. Increbescebant vices illæ circa dies criticos. Maxima virium fatiscentia ac deliria metum augebant; & quod rei caput est, absentia excretionum ac imprimis sudoris blandi quippiam boni sperare vetabat. Urina cerevisiæ nostræ ferè similis.

Tempore æstus intensio-
Fris

ris pulsus fortior ac celerior cum vivaciōri in vultu colore, tempore verò instabilis illius ac fluctuantis remissionis pulsus multò debilior erat, ac color etiam vultūs minuebatur. Tribus aut quatuor ante ineluctabile fatum diebus, angustiis in pectore, & faucium siccitate ac ardore querentes audire licebat. Ultimis diebus rubescēbat vultus, interdum etiam oculi, dolor capitis augebatur, mens deliriis gravioribus distracta hærebāt. In reliquo corpore habitus strictior erat. Inferiores partes parūm calebant, integro etiam ferè die ante mortem frigebant. Antequam penitus malignam hujus febris indolem cognovissemus, & ipsi Hippocratis autoritate suffulti credebamus, ac aliis etiam persuadere nitebamur, non adeò esse metuendum, sed hæmorrhagiam criticam expectandam. Fefellit nos hæc spes, & ut verum fateamur, ad hanc usque horam, quâ hæc scribimus, ancipites hæremus, quidnam potissimum Medicoragendum incumbat. Illud quidem evidens est, quod miasma vel in massâ sanguinis diffusum, vel principalioribus visceribus infixum hærens, indicet eliminacionem per poros totius corporis, quod commodissimè per placidum sudorem efficacioribus alexipharmacis excitatum, & per aliquot dies continuatum impetrari novimus. At nos omnes, qui lectis ægrorum cum debitâ curâ & attentione assistunt,

obtestamur, ut liberè edifferant, quam vanè sæpè
 ars præsidiis suis ad hunc scopum collineet? Refi-
 stere videtur ipsa natura, quæ operosis molimini-
 bus ferè tamen frustra hæmorrhagiam narium
 moliri videtur, strictura verò inferiorum partium,
 quæ ad hæmorrhagiam concitandam requiritur,
 auctiorem transpirationem, lenes sudores, ac ma-
 dores peripheriæ totius remoratur ac impedit.
 Quapropter in eas sæpius cogitationes incidimus,
 Medico, si sub initium morbi advocetur (contingit
 autem hoc quam rarissimè) incunctanter ad V. S.
 & eam quidem largam (quam tamen in malignis
 aliis omnibus non tantum tutò omitti posse, sed
 & oportere, sumus perswasissimi) esse configuen-
 dum; & hâc præmissâ sanguinisevacuatione, Sy-
 denhamii methodo, quæ post V. S. calidiora alias
 nobis in malignis non adeò probata, commendat,
 insistendum, & si hac viâ negotium non successerit,
 ultimo etiam raninas aperiendas, nullâ utique te-
 meritate, cùm certò si aliter procedas, ægro sit per-
 eundum. Verùm de hâc realibi. Hoc tempore
 medicinam fecimus adolescenti cuidam, febre con-
 tinuâ correpto & periculosissimè decumbenti. Ac-
 cedebat ad cumulum malorum aphonia, quæ
 tametsi nos non adeò terreret, cum viderimus pue-
 rum septennem per triduum, alium verò paulò a-
 dultiorem integrum octiduum voce privatos fuis-

se, & tamen iterum pristinam recuperâsse valetudinem, percellebat ac turbabat tamen vehementer, quod instar attoniti jaceret omnibus viribus exhaustus. Oculos subinde aperiebat, iterumque claudebat. Cum quasi conclamatum esset de eo, primo quidem largiter ex naribus sanguis effluxit, deinde etiam pituitosa saburra per vomitum ex ventriculo sine ullo emeticî stimulo in enormi quantitate fuit eliminata. Exclusâ criticè opprimente materiâ per nares & ventriculum ephebus ad mentem rediit & locutus est. Idoneis confortantibus summo languori ac debilitati fuit prospicuum, quo facto brevi post ex voto convaluit. Suris cum pectore communicationem quandam intercedere, alibi notatum fuit, & certè Baglivianam observationem de insigni vesicatoriorum usu in suris, quando ægri asthmate torquentur, cum conjunctissimo Collegâ nostro D. Klaunig quantivis esse pretii in Praxi experti sumus; nunc tribus annextere verbis lubet, quod suris etiam cum capite arctior sit necessitas, quam vulgo creditur. In febri acutâ graviora conticuisse deliria oborto in suris dolore memoratum est Hippocrati & etiam à nobis visum; rursus dolore in illis cessante, scilicet nullo prævio sudore accensas fuisse deliriorum faces itidem memoriæ proditum à nostro sene, ac semel etiam à nobis observatum est. Hac-

te-

tenus verò sensum Hippocraticorum verborum
in Coac. dolores circasuras mentem emovent: asse-
 cuti non fuimus, quia nobis nullum fuit oblatum
 ejus rei exemplum in febribus acutis cum tremulo
 partium motu conjunctis, de quibus Hippocrati
 ibidem sermo est. Extra febrim autem in rusti-
 co propemodum quinquagenario melancholi-
 ci temperamenti durâ egestate presso, qui aliquo-
 ties consilium meum imploravit, singularem hanc
 circumstantiam notare datum fuit, quod præsente
 dolore gravi pollicis pedis sinistri, qui per intervalla
 aliquoties in anno recurrit, ac in æstu ei ferè conti-
 nuus est, mente sibi non constet, dolore autem il-
 lo cessante rationis usu pro modulo suo optimè
 polleat.

Arthritis & calculus multos excrucia- *Arthritis.*
 bant, potissimum verò sanguineos illos, quorum
 functioni assidua & pigra sessio indivulsè est con-
 necta. Certè apud Vratislavienses non exiguus est
 eorum numerus, qui totos dies aut domi, aut in
 auditoriis causarum & curiis sedent. Videas non
 paucorum limen à matutinis statim horis obsideri
 à turbâ hominum, & quorum janua

Manè salutantium totis vomit ædibus undam.
 Sunt, quorum otium à prandio moribus nostris lar-
 go, & ubires domestica permittit, vino statim
 interpellatur, totumque tempus pomeridianum

rursus sedendo ac scribendo consumitur. Achimaturè admodum nephriticorum & arthriticorum castris aggregantur. Sæpè miratus huic hominum generi vel mediocrem constare posse sanitatem, cum adeò nulla inter assunta & motum servetur proportio. Nam non in curiâ tantum, sed ditioribus etiam in viâ sedendum, & pessimò mori manus dederunt, vehiculum perpetuò condescendi. Si ut olim tantillum itineris, quod bis aut quater in die repetendum est, pedibus conficerent, poterat sedentaria fatigatio hâc incessùs agitatione discuti. Sed quid est tanta curruum frequentia per strata viarum nostrarum quotidiè diffundit, ut nisi pedibus equorum obteri, aut conspurcari luto platearum velint, etiam ad vectationem cogantur decurrere. Huc nempè ventum est, ut videamur usum pedum amisisse, quem restitui frequentiæ pristinæ non dubiè censendum interesse sanitatis hominum. Martialis insaniae adscribendum putavit, si homo juvenis & validus alienis pedibus ambularet per urbem, Philippum quendam insectatus hoc epigrammate:

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus,

Hunc tu si sanum credis, Avite, furis:

ut ex togatorum militiâ non ultimus Petrus Xylander quondam Regi Catholico in sanctiori senatu à consiliis &c. in epistola ad Plempium conque-

ri-

ritur. Hæc vivendi ratio etiam alios morbos post se trahit.

Non paucis hujus ordinis hominibus molesta etiam est ventriculi anxietas ac dolor, qui post cibum assumtum invalescit eâ de causâ, quia ventriculi distensio à sumto cibo necessario sequitur. Nec verò solet mitescere, donec cibus concoctus per pylorum descendit. Credibile est, hanc ventriculi debilitatem & inde resultantem molestiam non parum augeri per compressionem ejusdem post ingestum cibum legendo ac scribendo, ut jam olim observavit Platerus.

Mirè etiam flatibus obnoxii sunt sedentariam hanc vitam agentes, ac multi Vratislavien-ses alii. Paulò est obscurius, unde flatus, id est, halituosa substantia expansionibus apta tam facile in ventriculo & intestinorum voluminibus cumuletur. Hoc certum est, quod hic locorum cibi, qui facile in halitum dissolvuntur, frequentissimè apponantur. Multi vescuntur frigidis & humidis e.g. lacte, sero laetis, jusculis aqueis &c. Rursus alii delectantur viscidis, ac multorum deliciæ unicæ sunt pisces; plurimi inhiant pomis, fructibus horræis, & inter viliores non pauci fabis & pisis &c. *quorum spiritus levi de causâ exhalant.* Tandem dulcia ac mellita, ut & massæ farinaceæ cum fæcibus cerevisiariis paratæ ac pingua quævis in frequen-

*Ventriculi
dolor.*

Flatus.

quenti apud nos usu sunt. Cerevisia quoque nostra crassa his annis ac turbida fuit multoque sedimento fœculento fœta. Admodum verò est simile ex cibis his ac potu nostro halituosam substantiam evolvi in illo intestinorum angulo, in quō bilis, succus pancreaticus, lympha intestinalis & quicquid ex poris œsophagi & ventriculi destillat, confluunt, & aliquo motu fermentationis seu effervescentiæ, ut scholæ multæ crediderunt, agitantur. Sed cum experientia affatim testatur, eos etiam, qui ab his aliisque ejus commatis cibis abstinent, nihilominus flatibus infestari, rationi non repugnat credere, eos sæpius ex reliquiis alimenti non ritè concocti, ac muco in ventriculo & intestinis semper obvio excitari. Dùm vero omnis dies docet, multos homines affatim ingurgitare cibos, quos flatulentos dicimus, & iterum, dum certè non desunt, quorum canalis alimentarius muco satis est repletus, qui tamen aut nulla planè, aut satis levia à flatibus experiuntur incommoda præ aliis, qui minimum in cibis flatulentis commissum errorem multis molestiis expiant, necesse est, aliquam in tubo intestinali tām disparis conditionis hominum reperiri diversitatem, adeoque intestina ipsa plurimum sanè momenti ad generationem flatuum conferre, prout hoc, vel illo modo comparata sunt. Quod si autem ad vivum omnia reseces,

feces, deprehendes facile in intestinis eorum, qui flatibus vexari levi datâ occasione solent, majorem inesse flacciditatem ac remissionem tensionis illius, quâ motum peristalticum absolvunt, scholæ tonum vocant, & quidem multò significantius. Putare ergò licet, flatus excitari, quando in intestinis reperiuntur fermentescibilia ad diffusionem & expansionem elasticam apta, & intestina in hâc illâve voluminis sui parte non ita tonicè tensa sunt, ut halituosæ fermentescibilium diffusioni obnitantur, sed ita flaccida existunt, ut expansioni facile amplius concedant spatum. Quodsi præterea fermentescibilia in intestinis præsentia hisce irritatione, acrimonia, acore, aut alio modo infesta sunt; absque dubio spasmodicæ contentiones ad amovendum & eliminandum ea, quæ molesta sunt, in intestinis fiunt, unde fit unô eodemque tempore, ut in hâc intestinorum parte tonus intendatur, in alterâ verò remittatur.

Quando verò portio intestinorum illa, quæ relaxatam partem excipit, etiam spasmodicè contrahitur, & hoc pacto illa à flatibus propter tonum remissum debilitata pars intestini utrinque & in superiori & inferiori regione cingitur à strictis & spasmodicè contractis intestinorum partibus, fieri profectò aliter nequit, quin flatus incarcerentur, & tormina ac dolores distensorii & quasi ruptoriis sentiantur, dum nimirum flatus vi-

suâ elasticâ contentioni intestinorum renituntur. Arduum verò est definire, an halituosa illa substantia, quam flatus dicimus, aqueæ, an verò aëreæ sit indolis, quamvis sciamus in posteriorem sententiam propendere non paucos, quod 1) hujus generis corpori competit rigiditas, cuius ratione etiam vim elasticam exercent, illi verò partes sint molles & lubricæ ac flexiles, nisi in glaciem densentur: 2) quod ad flatum requiratur insignis rarefactio, cuius adeo capaces non sint aqueæ indolis substantiæ. Si itaque hos autores sequimur, cibi illi, qui à Fieno, & ante hunc à Celso flatulentí dicuntur, hoc nomen merentur, quod copiosiorem intertextum gerant aërem, ac emittant, ad quam rem dilucidius explicandam experimenta Boylii multum conferre possunt. Si per omnia hæc Philosophia esset vera, caro bubula omnium maximè esset flatulenta, eò, quod teste Boylio, ex nullo propemodum alimento major aëris copia educi posset; at verò ignoramus, annon experientiæ repugnarent, qui carnem bubulam omnium maximè flatulentam profiterentur. Sed his missis nos rursus ad flatus revertimur. Benè res habet, quando deorsum spontè erumpunt; si verò aliter fiat, & ad ventriculum connitantur, major subest difficultas, nisi per ructum elidantur. Quod si verò his viis non procedant, sæpius contingit, ut ventri-

triculus, ad quem flatus propulsi sunt, sese nimium constringat ad flatus perhanc constrictiōnem expellendos, cui violentæ contentioni non raro junxit summa respirationis difficultas, cum gravissimis anxietatibus præcordialibus, vertigine tenebricosâ, tinnitus & strepitu aurium, frigore extremitum, ita ut ægri & circumstantes suprema instare credant, cui molestiæ generi valde obnoxii sunt hypochondriaci ac ii, quibus hæmorrhoides negotium faciunt. Nec immunes sunt ab hâc calamitate mulieres abortum passæ, & quibus menses non ritè procedunt. Verbo, incommoda à flatibus vel congenitam, vel contractam aut ex morbo e. g. dysenteriâ, vel spasmodicis contractionibus sæpè reiteratis flacciditatem ac debilitatem ventriculi & intestinorum præsupponunt. In gravioribus à flatu angustiis eò ante omnia laboravimus, ut obstrunctiones tollerentur, & pravæ alimentorum reliquiae, pituita viscida, fæces alvi induratæ &c. è corpore eliminarentur, quod quidem commodissimè per clysteres obtinuimus. Pe-to Hispanico enematibus admixto vim maximam educendi flatus non sine veritate adscripsit doctissimus Glissonius. Efficaciam fumi tabaci per instrumenta fumiductoria in Angliâ & alibi eò modo parata, prout ea depingi fecit Stisserus, intestinis immisxi in rebus summè angustis summam,

ut plurimis in hâc civitate constat, experti sumus.
 Profectò si ea fumi virtus viro doctissimo V. F.
 Plembio fuisset æquè cognita , non excidissent ei
 hæc verba, lib. de togat. valetudine tuenda p. 137: Au-
 dio nuper in Anglia excogitatum esse, & populo persua-
 sum, atque adeo nunc esse in usu, ut fumum tabaci per
 tubulum flatu ingerant in eam partem, quâ ciborum o-
 nera & reliquia redduntur. Quid non moluntur insa-
 ni in hoc gyrgatho? &c. Non multum solliciti fuimus
 de flatibus contemperandis & mitioribus reden-
 dis, in quam rem etiam ex mente Glissonii Medico
 est incumbendum. Et ille quidem eâ fini com-
 mendat carminativa vinosis mixta, ratus, ea haud
 minimum levaminis, quoniam blando suo fotu
 flatuum ferociam mitigant, in dolorifico hoc malo
 afferre posse. Enim verò cautum in eorum usu
 Medicum esse oportere, certum est, tûm quod cali-
 da sint, tûm quod stricturam in partibus intestino-
 rum jam antea tensis, augere possint. Solis phle-
 gmaticis, qui cerevisiæ usu delectantur, in dosi mo-
 deratâ ac blandioribus aquis mixta sic dieta carmi-
 nativa, nec adeò frequenter repetita prodeesse exper-
 ti sumus, si interpolentur nitrofa cum cinnabarinis
 & absorbentibus, quæ sola utramque paginam a-
 pud sanguineos & cholericos hoc in passu absolvunt.
 Vix autem Medicus anodynîs, hypnoticis &
 narcoticis e.g. theriacâ, philonio romano, opio &c.

indigebit ad fibras præter modum irritatas iterum placandas, multò minus ad eas ita disponendas, quo minus arctè comprehendant, sed facilius dimittant & traduci sinant flatus, dummodo cinnabari & nitro peritè uti didicerit. Securius etiam mitigationem fibrarum irritatarum ab oleofisis & gelatinosis, quām opiatis sperare fas est. Nulli verò fuerimus auctores, ut ad exemplum Glissonii adstringentia ad torporem intestinis inducendum, eademque ad flatuum dissipationem coarctanda temerè ægris exhibeat. Nam ut jam ante monitum, in omni flatu adest aliqua intestinorum coarctatio. Eximum planè usum habuerunt sacculi ex emollientibus & paregoricis, in quorum exteriorum usu commendando Aurelianus alicui nimius non immerito videri posset. Inter carminativa, ut hoc adhuc addamus, egregiè locum & dignitatem suam tuetur extractum radicis pimpinellæ oleo carvi imbutum, in phlegmaticis. Spiritum pri ritè præparatum insigne esse medicamentum testari possumus. Dedimus etiam cum effectu Essentiam cortic. oant. ac millefol. cum tantillo ~ exæci anis. &c.

Sub finem Martii regnabant catarrhi, *Catarrhi.* varii generis, destillationes narium, epiphoræ, palpebrarum superiorum laxitates &c. Proderant diuretica ac inter reliqua succinata. Egregium est sequens in exigua quantitate ægris oblatum:

R. ol. succin. 3j.

Θ succin. volat. 30.

M.

Digestione leni opus esse, quivis facile intelligit. Proderant & sudorifera serosis humoribus per cutis poros excutiendis destinata. Mihi tum in usu fuit sequens:

R. ▽ beton. 3iiij.

serpill. 3j.

cephal. 3vj.

Ω lign. sanet. 3j.

□ri compos. 3i.

Ef. lign. sassafr. 3j.

fyr. corallor.

beton. aa. 3i.

M. D.

Tumores Ton- Multi etiam tumoribus paristhmio-
fillarum. rum vexabantur, aliisque morbis serosis, de
quibus prolixè agere, non attinet. Non possumus
tamen evporiston Joelis cataplasma in tumore
tonsillarum præ reliquis satis laudare, quod, nisi fal-
limur, paratum ex farina hordei, sem. lini, fœnugr.
aa. 3ij. coctis in æqualibus aquæ & aceti partibus
ad consistentiam pultis, huicque massæ per seta-
ceum trajectæ ol. chamom. q. s. admiscetur.

*Constitutio a-
eris per Apri-
lum, Majum
& Junium.*

Initia Mensis Aprilis serena & acce-
pta erant; at reliquos ejus dies propemo-
dum omnes transegimus inter varios
ventorum, nebularum, pluviarum, nivium ac fri-
goris alternationes, etiamsi interdum per aliquot
ho-

horas nos gratior refocillaret aër. Eadem aëris erat inconstantia in eunte Majo usque ad quintum ejusdem Mensis diem, quo veris amoenitate frui cœpimus. Non tamen perpetua ea nobis fuit felicitas, nam aliquot diebus nonnulla à ventis incommoda experti fuimus; sed eò gratior, quò calidior die vigesimo nos afflavit aura; pluviæ quoque, quæ 23, 24, 25, 26 die decidebant, non erant ingratae. Sub finem omnia ridebant & erat formosissimus annus. In multis Junii diebus pluit, ac in paucis admodum sol nobis illuxit serenus; nam tametsi 6, 7, 10, 11, 18, 19, 22, 26, 27, 28 non plueret, cœlum tamen nubibus erat obductum. Fulgura ac tonitrua cum ingenti tempestate nos terrebant die 16, ac eum sequenti impetuofus imber cum grandine effundebatur. Durabant morbi, quos ante enumeravimus, communes valde erant tuffes, gravedines, raucitates.

Passim etiam grassabantur Epilepsiae puerorum. Plures, quam præcedentibus annis scabie foedabantur. Nunquam meminimus, tot homines omnis sexus, & ferè etiam dixeris, ætatis, morbillis laborasse, quam quidem hoc ipso tempore. Sub finem morbi gravissimâ vexabantur tussi, quæ laxantibus bis tervè repetitis debellanda fuit.

Multo

*Dolores po-
dagrici.* Multi adhuc exquisitissimis doloribus podagricis fatigabantur. Memini tum cataplasma ex radice quâdam arefactâ cum vino decoctâ pedibus illustris Podagrî à Chirurgo Ca-strensi applicatum, post horæ circiter spatium acutissimos dolores sine ullo ægri damno penitus sustulisse. Tametsi verò tum temporis, quænam illa esset radix, resciscere non possemus, brevitamen postea innotuit, esse eandem, quam Johannes Rai-cus in tractatu de Podagra Medico-Chymico anno superioris seculi 21 edito p. 48 & 49 commendat, quam alii ambrosiam, alii cervariam, germanice *Hirsch-Wurzel* appellant. Cum verò cervariæ nomine à Tabernæmontano & argentina Mom-peliaca p. m. 356 & chamædris major, p. 769 voce-tur, in neutram verò quadret descriptio Raici, diu perplexi hæsimus, quænam ea esset radix, sed du-bium illud exemit nobis Bernh. Verzascha p. 468 scribens: *Etliche sezen dieses Kraut auch zu dem Peucedano oder Haar-Strang. Es hat eine Wur-zel mit groben langen Haar / das über sich gegen den Stengel stehet / bedeckt / auswendig schwärzlich / in-wendig weiß / an dem Geruch und Geschmack hizig und starch.* Hanc ipsam esse radicem, quam desi-gnat Raicus, patet ex hoc, quod & ipse agnoscat, quod Tragus eam velit esse speciem Peucedani par-te iherbarii sui c. 148. Nec dubium est, quin cer-varia

varia sit libanotis altera quorundam, item Daucus
selinoides major, saxifragia Venetorum &c. Accu-
ratius adhuc eam describit celeberr. Rajus *in histo-
riâ Plantarum lib. 9 c. 4 p. 413* docens: *Radices plu-
res digitales in unam coire, quæ sensim attenuata pedes
duos aut tres horsum, illorumque vagatur altius hu-
mo depacta foris nigricans, intus alba lentam mucila-
ginem vulnerata manans, sapore resinaceo, aromati-
co, grato ad pastinacea Germanica accedens saporem,
substantiâ teneriusculâ &c.* Hæc radix ex mente
Raici) abundat sale adeò corrosivo, ut ferrum pe-
netret. 2) habet ♀ purum anodynum. 3) prædita
est & subtilissimo anodyno: Enim verò hæc noti-
tia haec tenus podagricis nostris nullam attulit utili-
tatem, quod radix hæc nostris non sit cognita offi-
cinis. Eum autem in finem hæc à nobis comme-
morantur, ut ii, quibus alibi eâ utendi occasio sup-
petit, vires ejusdem periclitentur, & uberiorem
de effectu ejus cognitionem Medicis non invi-
deant.

Cum variis etiam oculorum affectibus *Affectus o-
culorum.*
colluctati sumus. Non leve nobis dede-
runt negotium pustulæ in annatâ post variolas &
morbillos reliquæ, quamvis neminem latere queat,
quod omnia ea, quæ corneæ inæqualitatem ac
scabritiem inducere possunt, etiam generandis ejus-
modi excrescentiis apta nata sint. Meminimus,

H

quod

quod multoties etiam sine prægressis variolis aut morbillis tales pustulas conspexerimus. Initio interdum vix magnitudinem seminis cannabini æquant, hærentque in corneâ non aliter ac guttula aquæ. Credibile est nutritii humoris exudantis partem quandam esse transparentem hanc materiam subtilissimæ membranæ inclusam. Illa vero post intervallum temporis interdum satis breve turbatur, & affluxu ex vasis sanguiferis uberiori aucta in crassiusculum pus abit. Jam verò fieri aliter nequit, quam ut pustula à puris subtili falsedine rumpatur, ac pus effundatur. Quod quando contingit, remanens membrana cum antea pure distenta ac elevata esset, in se rugosa collabitur, & cuticulæ ita adhæret, ut sensim ei adnascatur, ac cum eâ coalescat. A novâ subinde materia affluente, cui rugosus ille situs faciliorem præbet aditum & domicilium, illa fibrillosa accretio augmenta capit, & si ab angulis oculorum, majori imprimis prodit, ut certè frequentissimè ab interiori oculorum cantho prognascitur, sæpè ita invalescit, ut non tam corneam tunicam, sed ipsam etiam pupillam tegat, ac specierum visibilia, sicut scholæ vocant, accessum prohibeat. Speramus non adeò fore improbabilem hujus texturæ ex succo alibili generacionem considerantibus, & ipsos nodos & cicatrices eidem debere natales, illos quidem, ubi erosis perio-

stiiis,

stis, hos quidem, ubi carne, cuteque vulnerata nutritius liquor copiosius effluit. In curâ universalibus præmissis, ruptâ pustulâ ad extergentia septica, & quæ rodendo agunt, illicò progressi sumus. Nunquam enim probavimus consilium eorum, qui fotui & suffumigiis multum tribuunt, edocti à Wedelio, quod ab intempestivis fotibus studiosus aliquis cataractam reportaverit, *in Amœn. Mat. Med. p. 133.* Nota sunt collyria Foresti, Riverii, Claudini, aliorumque, sed nunquam censuimus, tantâ esse opus farragine. Initium ferè fecimus vel à pulvere ex ovorum testis parato, vel osse sepiæ, vel etiam matre perlarum alioque terreo. Ubi vidimus, hæc aliaque minus sufficere, quemadmodum certè raro sufficiunt, illicò ad alia progressi sumus, scilicet ad vitrum antimonii, crocum metallorum, \oplus lum \wp is cœruleum &c. vitrum \wp ij. & crocum metallorum in pulverem redigimus, vino, vel aquâ rosarum aut euphrasiæ diluimus, pulverem, qui in fundo subsedit, oculis cautè insperimus, & cavimus, ne partes oculi illæsæ tangerentur. Vitrum \wp ij est paulò segnius. Crocus metallorum oculum premit, eique pondere suo molestus est. Efficacissimum est vitriolum \wp is in aquâ rosarum solutum, at vehementer urit, qua propter necessarium, ut brevi post oculo aqua rosarum cum saccharo Saturni instilletur. Novi-

mus lapidem medicamentosum Crollii non sine utilitate fuisse adhibitum. Et laterini virtutem in dissolvendis laxioribus epigenesibus extolli ab aliis probe recordamur, sed istud nos quidem in oculis hactenus nondum adhibuimus.

Stralismus. Hac occasione liceat nobis addere, quod experti fuerimus in quibusdam junioribus Strabismum posse corrigi, in aliis vero, quicquid etiam egeris, laborem omnem inutiliter impendi mus. Et omni quidem dubio vacat, in his conformatiōis vitium subesse debere, nam etiam diuturnae consuetudinis vis tanta in puerulo esse non potest, ut nullā contrariā consuetudine immutari queat. Vitium autem illud congenitum in non-nullis consistere videtur in hoc, quod humor crystallinus pupillae non recte opponatur, sed in utroque oculo vel ad latus, aut sursum, aut deorsum vergat & declinet. Eo ipso autem fit, ut ille non secundum lineam rectam, sed obliquam rebus vindendis opponatur. Apud alios vitium non tam in vitioso humoris crystallini situ haeret, sed in prava muscularum oculos moventium dispositione ac conformatiōne, quā fit, ut oculus non in situ æquali contineatur, & præterea a necessaria muscularum synpraxis lædatur. Quando enim hæc pervertitur, & hic vel ille musculus antagonistam suum superat eidemque præpollet, eo ipso, dum oculum

nimis in suas trahit partes, visionem distortam efficit, ac si in utroque oculo id eveniat, strabismum inducit. Enim verò si strabismus à vitioso musculorum in oculis motu originem trahit, ut quæ diximus, fidem faciunt, in aprico est, quod per pravam consuetudinem infantes in strabismum incidere queant, dum nimirum vitiosè oculos movere assūscunt. Illustre est apud Sennertum exemplum de puellâ, quæ metu novercæ malignæ post fornacem sedens limis oculis adventum ejus observans, strabismum contraxit. Non immeritò itaque parentes strabismum metuere possunt, quando infantes in cunis jacentes oculos vel ad hunc, vel ad illum loci situm continuè movent, & quasi fixos habent, dum enim, ut jam innuimus, perpetuò vel sursum, vel deorsum, vel ad dextram, aut sinistram partem flectunt, sensim oculi illi situi assūscunt, & eodem, nisi valde in contrarium nitaris, permanent, ac strabones evadunt, & quidem brevi temporis spatio ; nec enim fides abroganda clarris. Boneto, qui testatur se vidisse strabismum ortum in puer ex illustri familiâ oriundo citra ullum morbum præcedentem, & strabismum quidem spatio unius hebdomadis consummatum. Alias & hoc compertum est, strabismum suo modo esse hæreditarium. Novimus parente strabone ortos liberoscum eodem oculorum vitio. Ex omnibus

hisce liquet, humani quippiam passos esse nostros antecessores, ex quorum mente omnis strabismus vel à spasio, vel à paralysi proficiscitur. Et tametsi omnino sit vero consonum, à convulsione & resolutione nervorum ac musculorum oculos distorqueri atque exinde obliquum aspectum oriri, facillimum tamen ipsis fuisset strabones notare, quibus liber esset motus musculorum in oculis, hoc est, quorum oculares musculi neque paralysi, neque spasio laborarent. Strabismus congenitus nulli subjacet curæ, ille verò per pravam consuetudinem contractus non adeò facilem admittit medelam. Novi applicatam larvam faciei puerorum foraminibus ad locum oculorum perforatam, & lucernam directè oppositam fissile, ut hoc pacto visui directo assuefacerent oculos, quod remedium ex antiquis *Paulus* commendavit lib. 3 c. 22. & post Paulum ex recentioribus *Fonstonus* noster in *Idea univers. Med.* lib. 8 c. 8 p. m. 433; sed omnis ille labor frustra impenditur, nisi per aliquot menses continuetur.

Hemoptysie. Porrò fidei nostræ etiam sese commiserunt hæmoptoici, inter quos fuere, qui ante eruptionem sanguinis conquererentur de dolore sub costis notis in hypochondrio sinistro, eoque satis exquisito, ut etiam medentes redderent dubios & perplexos, an rejectio sanguinis dolorem brevi secu-

ta

ta per stomachum fieret, vase brevi scilicet aperto, ac in ventriculum hianti & sanguinem effundenti, ita ut lien fons sanguineæ scaturiginis hujus esset, an verò ex pulmonibus per arteriam asperam latex vitalis prorumperet? Nam ita describunt hunc suum dolorem, & locum adeò apertè designant, ut dubium nullum superesse possit, sedem exquisiti sensūs in liene esse, eumque & à stagnatione sanguinis, & compressione, contractione, stricturâque visceris ac vasorum sanguiferorum illius ori- ri. Nihilominus omnes circumstantiæ aliæ nos convincebant, sanguinem ex pulmonibus ferri, ut vel hinc videre liceat, quantum stricturæ & coarctationes viscerum ac vasorum abdominis confe- rant ad hæmoptysin. Communicata fuit ab amico methodus nova effrænam etiam coercendi, ut ajebat, hæmoptysin. Vocata ea in usum, & eximiè profuisse deprehensa est. Eam cum Practi- cis communicare haud gravabimur. Mistura sequens horâ septimâ matutinâ & tertîâ pomeridianâ exhibita est dosi 40 gutt.

Rx. Eff. millefol.

mum. exot. aa. 38.

scordii.

Tinct. bezoard. aa. 3j.

Tinct. pilde cynogloss. gt. XX.

M.

Horâ

Horâ verò 10 matutinâ & horâ 6 pomeridianâ
hæc:

R. Tinct. 3ij.
Ω CC. aa. 3jß.
M. eadem dosi.

Vesperi data fuit ex pulv seq. 3j.

R. bol. armen. pp.
▽ sigillat.
mum. veræ.
sangu. Drac.
spermat. cet. aa. 3ij.
spec. Diatragac. frigid. 3j.
spec. n̄pil. de cynogl. 3j.
M. f. pulv. subtiliss.

In eruptione violentiori ex spec. de hyacinth. 3j.
quocunque tempore oblatus est; si verò hoc me-
dicamento ferocia effusionis non mitigaretur, ut
subinde mitigata non fuit, mox hoc pulvere do-
mita est:

R. spec. n̄pil. de cynogl.
ocul. ▽ pp. aa. 3j.
M.

Præterea pulvis bufonum sacculo inclusus sub axil-
larum alterâ gestabatur. Vitriolum album sole
calcinatum aquæ calidæ immissum, ac sanguis e-
rumpens in illud vas effusus est. Hæc cura non vul-
garis ingenium inventoris, quisquis ille fuerit, acu-
tum abundè declarans, ex voto bis terve successit.

*Mense starde
erumpentes.* Vernali hoc tempore suscepimus cu-
ram multarum fœminarum, partim ea-
rum,

rum, quibus menstrua nondum fluxerant, etiamsi
 14 tum ætatis annum jam excessissent, si, ut fre-
 quenter usu venire solet, propter retardatum hunc
 fluxum valetudo earum læderetur; (eas enim, quæ
 illibata fruuntur sanitatem, etiamsi ad 20 ætatis an-
 num ac diutius, imò per totam vitam lunare tribu-
 tum non persolverint, nullis torquendas esse reme-
 diis, certi sumus, ac rem hic acu tetigisse censemus
 Helmontium, qui credit, has fœminas tantum fal-
 tem sangvinis producere, quantum ipsis pro con-
 servando corpore necessarium est) partim etiam i-
 starum, quibus ex voto antea menses successerant,
 sed iterum substiterant. Plures sunt hic locorum
 virgines, quibus justo tardius non sine gravi ea-
 rum incommodo menstrua purgatio erumpit.
 Causas si scisciteris, variæ sese offerunt. Plebejæ
 crassis ac viscidis saturantur alimentis, frigidam in-
 gurgitant, & quod caput rei est, in locis frigidis &
 humidis ac uliginosis educantur, (rem norunt, qui
 egenæ plebis habitacula apud nos viderunt) & ali-
 quanto adultiores linteorum extersione aut aliâ
 manuariâ operâ vitam tolerant, in iisdem domici-
 liis, in quibus nati sunt, commorantes. Fortuna-
 tiores, quibus liberalior contingit educatio, mature
 vitae sedentariæ assivescunt, dum iis imbuuntur arti-
 bus, quæ hunc sexum ornant, id est, vel filum acu-
 ducunt, vel dulcedine musices captæ instrumenta
 musica animant, aut etiam in linguis exoticis Polo-

nicâ, Gallicâ, Italicâ discendi occupantur. Quantilla est etiam illa exercitatio corporis, quam culinaria negotiola mediocribus (nam nobiliores hæ etiam curæ non exercent) nuptias anhelantibus imperant. Mensa verò, quæ his nostris apponitur, irritat famem & saturas etiam ad edendum cogit. Farinaceo butyro frixa unicæ multarum deliciae sunt. Quando autem per tempus palato suo obtemperarunt, juscula & calidos cibos fastidiunt, & deinceps non nisi frigidis ac crudis ventrem implet. Aliæ, quæ ad hos scopulos non allidunt, parum admodum bibunt. Somno etiam nimium temporis tribuitur à plerisque. Nonnullæ non noctem tantum, sed & optimam diei partem, horas scilicet matutinas ad octavam, imo nonamusque somno dicant. Non est exiguus numerus eorum ex utroque sexu apud nos, qui alium sibi diem, aliam à naturâ noctem faciunt, qui ad faces & cereos vivunt, qui tadas solem sibi statuunt, ut ingenuosè Carolus Scribanus S. J. in *Antverpiâ p. 6.* Nimium sordida res est, ut pergit ibidem & pag. seq. vulgarivia vivere, facere que, quod facit populus: quare publicus dies relinquendus, diligendus proprius ordoque rerum mutandus; tanquam aut natura, aut conditor Deus à ratione aberraverit. Hâc autem vivendi licentiâ non tantum sanguis latus & crassus evadit, sed & serum ac lympha mucescit, ac ad stagnationem dis-

disponitur. Atque hinc lerna malorum, præcipue autem lumborum, scapularum, capitis totiusque corporis gravitas & dolor tensivæ lassitudinis, cibi fastidium ac mensium retardatio. Rursus reperi-
re licet, quas propter diætæ leges temerè violatas immeritò accusaveris, quibus tamen nihilominus non licet adeò esse felicibus, ut tempore à naturâ destinato manent menses, licet sint plethoricæ, ut exinde suspicio suboriatur, etiam sangvinis abundantiam nimiam in quibusdam mensium fluxum remorari. Non defuerunt, quibus sangvinis immoderata ex naribus & pectore profusio sæpius repetens impedimento fuit, quo minus ordinario tempore iis menses fluarent. Non licuit nobis ha-
tenus perspicuè & clarè per experientiam cernere, quod viarum angustiæ in juvenculis exitum menstrui sangvinis impediverint, nam tametsi captu facillimum, quomodo unus alterve ramulus arteriarum tumoribus, cicatrice &c. arctari queat: diffi-
cillimè tamen assequi datur, quomodo tam numerosæ arteriæ tum in uterus, tum in cervicem ejus desinentes hoc modo stringi & comprimi possint, quò minus sanguis ex osculis in uteri & vaginæ ca-
vitatem stillet? Multò autem minus patet, quo-
modo vaginæ & colli uterini tanta possit esse angu-
stia, ut exeunti sanguini repagulum objicere valeat,
imperforatas si excipias. Cæteroquin in vulgus

usque notum est, quod hæmorrhagiis sæpè obnoxiae vivant, qui exilibus admodum vasis præditæ sunt. Facilius deprehendere licet, in quibus haud sufficientem sangvinis motum internum arguas, cum ubique obviæ sint, quæ præ mœroribus ferè contabescant. Variæ etiam causæ reperiuntur, cur jam consuetus mensium fluxus suppressatur, sed ferè communes magisque vulgares sunt enor-miores in diætâ errores, crudorum alimentorum ingurgitationes, his enim, dum sangvinis tenuitas & fluiditas sensim labefactatur, pedetentim fluxus mensium imminuitur ac tandem prorsus suppri-mitur. Pedum ac inferiorum partium refrigeratio-nes, vel jam fluentes vel instantes menses simul & semel cohibent. Non disparis efficaciæ est terror ve-hemens ac improvisus in obstruendo fluxu men-sium. Novi duas nobiles præcipuo apud nos loco natas, quarum alteri, cum apoplexia matrem, alte-ri verò idem morbus patrem ex improviso men-sium tempore eripuisset, ambæ ex panico hoc ter-rore in pertinacissimam mensium obstructionem inciderunt, & prior quidem à Collegâ nostro non conscientia menstruæ hujus purgatione eodem die pi-lulas purgantes acceperat, quarum efficaciam idem terror ita retudit, ut nullæ sequerentur sedes. Post fata illustrissimæ matris menses satis largiter fluere soliti, non amplius comparuere, & post non adeò

adeò longi temporis intervallum hæc nostra febri malignâ petechiali correpta Deo piam reddidit animam, nihil proficientibus medicamentis, quæ ultimis morbi diebus cum ordinario exhibebam. Posterior priori felicior aliquot mensium labore tandem ab obstructione hâc, quam per terrorem incurrerat, liberata fuit. Ex solerti observatione constat, quod succulentis & sanguineis haud raro menses satis parcè fluent. Hæc res, ut subinde fit, ad medicos defertur. Hi, si minus provido consilio, ut aliquando contigisse recordamur, fortiora emmenagoga, jam jam exitum molientibus mensibus exhibeant, tantum abest, ut copiosiores inde profluant, ut potius omnimode cohibeantur. His præmissis de curâ aliqua addamus. Quantum ergo concernit istas, quæ ætate maturâ evacuatione menstruâ justô diutius carrent, atque hinc malè habent. In iis, si sint plethoricæ, curam ferè auspicati sumus à V.S., quam in pedibus circa novilunium celebravimus. Pridie verò novilunii exhibuimus laxans, ubi plerumque pilulas nostras cephalico-hystericas cum obsoleta, sed efficaci tamen mass. pilul. Ruffi in admodum moderatâ dosi mixtas præscripsimus, & multoties vidimus non sine lætitia ex voto hâc ratione fuisse menses provocatos. Egenis & minus nauseabundis species hieræ simpl. Gal. ordinavimus, ac re ipsâ comperimus verissima esse illa Roderici à Fonsecâ

*in Consult. Med. c. 18 p. m. 136: Nullum medicamen-
tum est præstantius ad ciendos menses ipsa hiera simpl.
Galeni.* Pediluvia etiam serio commendavimus.
*Quod si hâc viâ restitantes non prolierentur men-
ses, ad emmenagoga ac sangvinem attenuantia nos
convertimus, sed ad illa quidem non nisi circa novi-
lunium progressi sumus, & vel Eſſ. myrrh. ♀ſ. vel
Elix. Propr. ſ. acid. vel Elix. balsam. Langii in vino
ad 20 vel 25 vel 30 guttas alvô non obstructâ in vi-
no vel aquâ pulegii vel artemis. obtulimus. ♂il.
Beccheri efficaciam jam anno hist. nostræ primo
laudavimus. Volatilia, Ⓣrinosa in sangvine atten-
ando plurimum valent, si prudenter iis fueris usus.
Martalia aperientia etiam laudem merentur, e. g.*

R. Croc. ♂t. aper. gr. vi.

♀ lat.

⊖ artemis. aa. gr. xv.

M. f. pulv.

*Qui per aliquot dies non sine utilitate sumitur. A-
mavimus per tot annos contra communem sen-
tentiam exiguae martialis doses, si quando ne-
cessitas voluit, ut ad illa configureremus. Ac par-
ciori adhuc manu limaturam martis dedimus,
quam crocum, ferè tribus aut quatuor alcohol chal-
lybis granis contenti, cum etiam ex collegis qui-
dam j. ingerere non vereantur. Bonum factum!
abundamus suo quisque sensu. Pulveri cacheuti-
co Quercetani more Wedeliano ☰ cinam guttam
ad-*

adjecimus, alias nunquam ferè imitati eos, qui
in Thraci vinos. cum : succin. rutæ, sabinæ connu-
bium tantoperè amant. Plusculum, ut ingenuè
fateamur, tribuimus nodulis ex *herbis uterinis* ar-
temis. rorifmar. meliss. matricar. major. origan.
calamenth: *ex floribus* chamæmeli, matricariæ,
Keyri, calendulæ, summit. aneth. *radicibus* pimpi-
nelli. levistici, galang. mei, acori veri, eichor: *aro-*
matibus cinamo. cassia lig. croco, mac. ac *laxanti-*
bus helleb. nig. fol. senn. &c. Nemo, quantam of-
ferant noduli hujuscemodi utilitatem apud nos
credere potest, nisi qui multoties fuerit expertus,
tum in iis, quibus menses statò tempore non com-
parent, tum in illis etiam, quibus, postquam fluxe-
runt, iterum pèr incongrua alimenta, suppressi fue-
runt. Emeticis, quorum abusum etiam alias dete-
stamur, ferè non eguiimus. Pediluviiis verò ac bal-
neis aquæ dulcis tantò crebrius usi sumus, quæ et-
iam ipsis medicamentis palmam dubiam faciunt
apud eas, quæ per refrigerationem ac moram in
locis humidis aut retardatos menses expertæ, aut
horum suppressionem incautè, ut diximus persæpè
ita fieri, incurrerunt. Paulò ante commemora-
vimus, menses statò ordine fluere solitos aut ab-
rupte & impetuosis fisti, aut paulatim minui,
ac tandem penitus aboleri. Sicubi prius hoc con-
tigerit, sangvinei temperamenti fœminæ febrili-
bus

bus exæstuationibus, & spasmodicis agitantur motibus, simulac menses fluere desierint. Quæ verò paulatim fluxum amittunt, priores sunt ad catarrhos suffocativos, astmatha, cardialgias, tumores pedum, ventriculi ataxias ac inflationes, hypochondriorum tensiones, pertinacissimos capitis dolores, hemicraniam, vomitus, tusses siccas, artuum dolores ac viscerum obstrunctiones &c. Ad priores illas vocati sine morâ enemata svasimus, & quidem blanda, sine stimulo ex emollientibus & carminantibus; hisce junximus illicò Eff. pimplinell. cum guttâ unâ alterâve Tincturæ croci, & decantatas Beccheri ex selectioribus extractis pilulas, quibus factis, sæpiissimè febrilis alteratio cum convulsivis commotionibus conquievit, tametsi non illicò menses iterum manaverint, quod tamen interdum fit, modò terror non illicò post assumpta alimenta mensium successum turbaverit, uti omnia majoribus involuta sunt difficultatibus, nisi vomitus spontè sequatur, aut arte excitetur & moderatè pellantia exhibeantur. At res aliter comparata est cum iis, quibus sensim menses subsistunt ex erroribus in diætâ commissis. In illis utramque paginam, quantum nobis per experientiam constat, absolvunt purgantia sæpius repetita, unde quidem fit, ut instantibus mensibus augeantur symptomata, sed & sæpiissimè menses revocentur, quos spera-

re non licet illâ vice, ubi ad medicamenta idonea symptomatum malacia consequitur. Purgantibus interpolavimus in minus sanguineis Ess. aromat. DK. Elix. bals. Lang. Elix. vit. D. Tralles amici quondam nostri & Collegæ, & tandem moderatis pellentibus naturam sui admonuimus officii tempore illo instantे, quô aliâs menses manare conserverant. Eludit tamen pertinacia mali sæpè artem, & optimorum remediorum vim enervat, quod potissimum fit, quando lumbrici in intestinis oberrant, ac tum frustra quidem omnis impenditur labor, nisi cum uterinis & emmenagogis anthelmintica soientur.

Quibusdam gravidis per mulieria sanguinem fluere solere pervulgatae res est notitiæ. Non unius verò generis est fluxus ille sanguinis; interest verò prægnantium, ut cuiuslibet indolem Medicus accurate habeat cognitam perspectamque. Cum verò hos disparis conditionis fluxus tum hisce diebus, tum alio tempore sæpiissimè observaverimus, opera erit pretium, eosdem breviter percurrere. Et initio quidem notum est, nonnullis ac potissimum plethoricis menses fluere, aliis usque ad quintum mensem, aliis verò toto gestationis tempore, & quidem absque omni & fœtus & matris noxâ ac damno, quâ de re consuli meretur Co-

Fluxus sanguinis in gravidis.

lumbus lib. 12 de formatione fœtūs p. 250. Ethis quidem absque doloribus actorminibus placido cursu manat rivus sanguinis ex genitalibus, non cum impetu exundat, nec grumos facile vehit. Tantum abest, ut ullis artis præsidiis ad inhibendum hunc sanguinis effluxum, opus sit, ut potius per adstringentia quævis in abortūs periculum mulier conjiciatur. Neque enim ullo modo negari potest, quod sanguinis nimia moles in utero fœtum sæpè obruat, illumque vasis umbilicalibus disruptis foras propellat, quod contigisse illustri Matronæ Clariſl. Virzach Obſerv. 82 non immerito ſuspicatur. Neque etiam ullum minatur vel matri, vel foetui periculum, quod non raro brevi post conceptionem statim mensium tempore per horarum paucarum intervallum emicat sanguinis ſtillicidium, ac altero etiam mense interdum recurrit. Enim vero aliud judicium ferendum est, de fluxu illo sanguinis, qui vel sub finem secundi, ve etiam tertii quartive mensis gestati uteri prodit. Tametsi enim primum à typo evacuationis menstruæ neque quantitate, neque exeundi modo abeat, quinimò sub hoc ſchemate duobus aut pluribus niensibus ſeſe ſiſtat, grave abortūs periculum portendit. Et abortus quidem tum instare censendus est, cùm fluxus ex tranquillo (præterlapsis nonnunquam aliquot diebus) in vehementem præcipitemque laticis vitalis

mu-

mutatur profusionem, quæ non raro adeò invalescit, ut ægræ animo linquantur, & extremis frigentibus jam jam expiraturæ videantur, quod etiam certò eveniret, nisi plerumque post aliquot horas immaturus fœtus excluderetur. Attentam verò considerationem illa insolita animi dejectio, quæ ante vehementem istam hæmorrhagiam sese exerere solet, meretur, ex quâ solâ instantem abortum & graviora symptomata tutò prædixeris, et iam si tibi cognitum non sit, an mammæ sint extenuatæ, aut cuius generis lac ex his fluxerit, an lata cum ventre superiori arctari fuerint visa &c. Eo autem majori dignæ sunt commiseratione, quod imposterum, nisi uterus quam optimè expurgetur, iterum eodem, quo prius mense, iisdemque mensis diebus eadem fata experiantur, quod etiam erumpente sangvine, prægressâ lumbi coxæque insolitâ gravitate sibi ominantur, licet spasmi uteri admodum sint leves. Quando itaque confertim erumpit sangvis, metusque abortiūs non vanus est, ut rarissimè tum esse solet, Medico sit religio impetui sangvinis exundantis adstringentia, tanquam aggerem objicere. Nos analepticis ac emulsionibus gratioribus & minus flatulentis vires conservavimus, orgasmum repressimus, & elisâ uteri sarcinâ (sæpè enim post primum abortum cùm gravidas sese esse arbitrantur, in-

formem gestant quandam moleculam) hujus catharsi viribus debitè reparatis, sedulò vacavimus. Tandem sub fine m etiam gestationis, nonnunquam usu venire consuevit, ut sanguis ex genitalibus feratur, ac mature fluxus illius insolefecat. Ne h̄ic cum periculo gravidæ erraremus, solicite attendimus, an hic sanguinis r̄ivus ex utero, an verò vaginā tantū & uteri collo oriretur, (ex utroque enim loco h̄oc ipsos etiam menses scaturire posse, cum illustri Dn. Schroeckio *in Schol. ad Observ. 91 Helwigii* persuasi sumus, non obstantibus & rationibus & experimentis Clariss. Regneri Graaf tract. de organis mulier. generationi inservientibus c. 9 p. 124) si ex vagina stillaverit sanguis, salva res, nec opus fuit magna festinatione. At longè aliter judicavimus, si ex ipso uteri fundo sanguis manaverit. Tum enim fluxus certissimum est indicium separationis placentæ ab utero, quæ simulac hinc fuerit avulsa, nunquam amplius cum eo coalescit, nec ullo modo sperare licet, fore, ut ante editum foetum fluxus sanguinis sistatur. Ne ergo falleremur ministerio manuum obstetricis usi sumus ac exploravimus, essetne internum uteri orificium apertum? Ubi nunciatum nobis fuit, istud orificium hiare, non amplius duximus esse dubitandum, quin sanguis ex utero ipso erumperet, & tum quantocius partum promovimus, veriti, ne per ina-

inanem exspectationem ex nimiâ hæmorrhagiâ vires fatiscerent, ac mulier sub partûs laboribus exspiraret, quod in hæmorrhagiâ continuâ & magnâ facile evenire potest. Quodsi verò illa per intervalla in exigua quantitate recurreret, nec gravidæ vires valdè dejiceret, exspectavimus, donec natura partitionem moliretur, quod in Mercatoris Itali conjugi aliasque sæpè à nobis observatum fuit. Incidere, fatemur, casus, ubi effluxus sanguinis admodum fuit insolens, & jure metui poterat, ne non esset ferendo ægra, tum ob eam, quæ præcessit evacuationem, tum ob eam, quæ edito fœtu, reseratis uberius viis, sequi posset, non tamen deseruimus ægras, sed in anticipi hoc casu aliquid ausi sumus & circumstantibus explicavimus, quod sine acceleratione partûs & matri & fœtui necefario sit pereundum, ac vidimus sæpè matrem, postquam enixa fuit, servatam, nec meminimus, gravem hæmorrhagiam facile secutam fuisse. Et profectò, si post partum per aliquot horas analpticis circulatio sanguinis conservari potest, periculum mortis ex hæmorrhagiâ uteri cessat. Conf. Mauriceau *dans ses Observations sur la grossesse & l'accouchement des femmes.*

A multis hōc tempore vernali propter frequentem seminis excretionem consulti sumus. Alii conscientiæ suæ hinc me-

tuebant, alii sanitati. Illos ad Theologos remisimus, ac præsertim ad lectu dignam St. Athanasii *Epistolam ad Amnum Monachum*, quæ habetur in *Synodico Beveregii Tom. 2 p. m. 36* in quâ inter alia hæc etiam habentur verba: *Quod enim o dilecte & religiosissime, habet peccatum, vel immun-dum naturalis excretio, ut si quis vellet etiam cri-men facere eos, qui per nares emittuntur mucores, & qua per os, sputa &c. jussimus etiam eruditos legere Canonem quartum Petri Archi-Episcopi Alexandrini in eodem opere p. 13.* Cum iis vero, quos sanitatis cura hâc de re sollicitos esse cogit, ita egimus, ut ante omnia erueremus, an tabes dorsalis metui posset, an fortè hæmorrhoides es-sent suppressæ, an hypochondriaco malo labora-rent, an unquam calculo vel podagrâ fuissent correpti &c. nam his morbis detentos frequenter pol-lui, tum à nobis ipsis observatum, tum ab aliis est annotatum. De homine, qui tabe dorsali affe-ctus ita scribit Hippocrates *lib. 2 de morbis: Inter dormiendum, siue cum uxore dormiat, siue non, ve-noris ludibria experitur.* Hypochondriacos præ-cæteris turbari hâc excretione, exemplis à Mer-cu-riali & aliis fuit comprobatum. Obscœnis so-mniis vexari, quibus hæmorrhoides suppressæ sunt, scribit Hollerius *lib. 1 de morbis internis cap. 55 in scholio.* De nephriticis & arthriticis Schen-ckii

ckii *observatio* prostat. Pro diversitate horum affectuum diversa etiam suggestimus consilia, omnibus verò svasimus, ut à cibis calidis, acribus, salinis, vino generoso, cerevisiis & osis, foeculentis abstinerent. Meminimus adhuc probè, quod quoties seni cuidam in catarrhis, quibus crebrò infestabatur, exhiberemus pilulam de styrace D. Sylvii pondere gr. j. toties in nocturna phantasmata ac pollutiones inciderit, ut vel hinc colligere licuerit, opium symbolam suam ad stimulandam seminalē excretionem conferre. Turcæ, teste Alpino *de medic. Indorum*, opium adhibent, ut habeant de nocte impudica somnia. Compertum quoque habemus mentham semen ita colliquare, ut fluat, quod insinuavit Martialis lib. 10 epigramm. 48, dum mentham vocat destupraticem, & herbam salacem:

*In quibus est lactuca sedens & sessile porrum,
Et destupatrix mentha & herba salax.*

Non obscure eō ipsō innuens menthæ inesse vim accendendi Venereim, & excitandi spontaneum seminis profluviū. Hinc Aristoteles sect. 20 problem. 2 mentham, ait, *in bello ne comedas, nec seras*, cuius dicti occasione Gabriel Naudæus Vir clarissimus eleganter de usu menthæ disquirit in eruditissimo de studio militari opere lib. I p. m. 296

�

& seq. Vitandus est etiam decubitus supinus, quem adeò multum conferre ad pollutionem *sect. 10 problem.* credidit Aristoteles, ut concluserit etiam, bruta animantia pollutionibus non infestari, eò, quod nunquam supra dorsum & renes jaceant. Quâ in re ab eo dissentire novimus Johannem Benedict. Sinibaldum *lib. 5 Geneanthropeiae tract. 2 c. 2 probl. 4 p. m. 669*; huic enim probabile videtur, quod bruta in somno ejicient genituram, rariùs tamen hoc contingere autumat, tûm ob corporis raritatem, tum etiam ob simplicem frigidumque vietum, nec non durum ac nullis stratis munitum accubitum &c. Internorum usum e. g. notas paſſim castitatis essentias, & syrupum ab Altomari, quem Sinibaldus *l. c. 3 p. 677* describit, ac omnium validissimum vocat, Otrosa &c. commendavimus, sed experti sumus frustra adhiberi, nisi animus ab omnibus libidinosis cogitationibus avocetur, & perpetuis laboribus corpus refrænetur & subigatur. Levissimum etiam est subsidiū, quod ab externis quibusdam e. g. unguento Comitissæ, de Alabastro, Cerussâ, refrigerante Galeni, laminis plumbi super renes gestatis vulgo exspectatur. Enim verò etiamsi hic æstum in regione renum parum temperaveris, vanus tamen fuerit labor, nisi occultum libidinis ignem in intimis cordis penetralibus flammantem extinxeris.

Inter

Inter plebejos & melioris etiam cen-
sûs homines non defuerunt, qui de incu-
bo seu ephialte conquererentur: *Es hätte sie der*
Alp oder das Nacht-Männlein gedrückt. Et non
minus apud nos quam apud Anglos supersticio in-
olevit, *passionem hanc reverâ à Dæmone induci at-*
que à malo spiritu incumbente istam in præcordiis
oppressionem & gravamen inferri, ut loquitur *de*
animâ brutor. parte patholog. c. 6 Willius. Quan-
tum nobis per experientiam hujus anni constitit,
gravi admodum molestiæ sensui obnoxii sunt ado-
lescentes & juvenes in cœnâ mirum in modum
crassis cibis ventriculum referentes ac oneran-
tes, inter provectionis autem ætatis homines, vel
cacockymia, vel cachexia aut malo hypochondriaco laborantes. Una alteraque puella admo-
dum plethorica ante liberum mensium fluxum
prægravantem quandam in præcordiis molem
tempore somni in decubitu supino sibi molestam
fuisse itidem affirmavit. Quotquot unquam de
pondere ejusmodi thoraci inter dormiendum in-
cumbenti (nam nullo modo iis hanc phantasiam
excusseris) locutos audivimus, unanimi consensu
narrarunt, se, postquam evigilarunt, cordis tremo-
rem & diaphragmatis vibrationem eamque ce-
lerrimam percepisse; in eo verò nequaquam con-
venerunt, quod modò sub hâc, modò sub illâ spe-
cie,

cie, id quod sibi incubuisse credunt, apparuerit. Tametsi verò in ultimo *hist. nostræ anno* sensum ponderis ab aëre in pulmonibus retento derivaverimus, nec hodiè adhuc nos hujus sententiæ pœniteat, ac cur supino corporis situ id fiat, explicare conati fuerimus, addendum tamen censemus, sanguinem stagnantem à consortio aëris in formandâ hâc thoracis pressione non esse excludendum. Credibile verò est, sanguinem hoc in casu intra ipsos pulmones stagnare, ejusque refluxum per venam pnevmonicam ex parte impediri, tametsi nihil vetet etiam concedere, quod ex dextro ventriculo cordis non satis vegetè interdum ille propellatur, ac in eo moram aliquam trahat, quod contingere tūm variis aliis de causis potest, tum potissimum, quando spatum omne pulmonum latice hoc vitali nimis repletum, & ad excipiendum eum, qui affluit, incapax est, id quod plethoricis quibusdam puellis contigisse arbitramur, quæ incubo mensibus nondum fluentibus vexatæ fuerunt. Sentitur itaque ejusmodi moles pectori incumbens tempore somni in situ corporis supino, quando cor motum suum cum difficultate insigni absolvit, sanguis in ventriculis cordis & vasibus pulmonum sanguiferis stagnat vel remoram patitur, ac aër pulmonum vesiculis inclusus per exspiracionem non redditur. Sentitur verò tantò gravius illa

illa moles, quò magis cor, diaphragma situ supino nimis versus vertebrae lumborum extensum, ac musculi intercostales (nam respiratio manet, si credimus Pecqueto, etiam si omnes musculi in pectore & abdomine penitus abscindantur) laborant & vim movendi exerere conantur. Attenta consideratio experimenti Vesalii lib. 7 de *human. corporis Fabric. p. 827.* De nervorum phrenicorum ac recurrentium ligatorum, vel abscissorum efficaciā ad vocem brutis vel intercipiendam, vel ad imendam ac abolendam affatim docere potest, quantum incommodi læsiones nervorum istorum partibus spiralibus afferre queant. Voracioribus ac ingluviei deditis evacuantia profuerunt. Robustioribus, nisi quicquam obstaret, emetica dedimus, paulò debilioribus verò purgantia. Plethoricis puellis venæ sectio debito tempore in pede celebrata summam attulit utilitatem. Et quoniam Ephialtes in junioribus sæpè recurrens epilepsiae, in senioribus autem apoplexiæ metum incutit, prudentiæ leges requirunt à medente, ut venientibus pro virili occurrat malis & tum omnino suspicio est, genus nervosum pati, quamvis dolendum, quod modus læsionis ferè notitiam nostram effugiat.

Scorbutici verè tales (Scorbuti enim *Scorbutus.* vocabulum à recentioribus scholis nimis latè ex-

L 2 ten-

tenditur, & ferè sicut apud Aristotelicos justitia universalis complexus est omnium virtutum; ita scorbuti nomen apud multos neotericos tantum non omnes morbos suo ambitu comprehendit) multi per integros decem annos, quibus inclytæ fundationi Tharullianæ olim præfuiimus, & incredibili ægrorum numero pro virili succurrimus, nostrum auxilium implorarunt. Scorbuticis verè autem talibus accensuimus 1) illos, in quorum gingivis ïndicia putredinis, exulcerationis ac fœtoris præstò erant: 2) quorum artus maculis vel parvis subnigris, vel majoribus purpureis, violaceis, sublividis &c. foedabantur. Ac nusquam profectò vivam magis scorbuti imaginem spectare nobis licuit, quam in militibus, ut anceps belli alea fert, vulneratis ac mutilatis, quos dura egestas ad bellum inidoneos non sine nationis Germanicæ opprobrium ostiatim stipem petere cogit. Hi quemadmodum in castris quondam insalubribus ac interdum putridis cibis ac aquis corruptis in aëre uliginoso vitam sustentarunt; ita cum truncati castra amplius sequi non valent, passim in pagis & oppidis palabundi latrantern stonachum vili pane, lardo rancido, piscibus lacustribus, lentibus, pisis, fabis, cœpis, brassica muriatâ, haleciis &c. placant. Dum autem ita passim oberrant, pristinarum sanguinis evacuationum, si non ex veis phle-

phlebotomo aperta, certè tamen ex vulneribus illatis immemores ac securi sensim scorbutum contrahunt, pessimam, ut monuimus, diætam observandō. Dictu autem arduum est, quot scorbuto invalescente, fatigentur symptomatibus miseri. Videlimus alios, quibus vomitus & conatus vomendi ex improvisò recurrebant; rursus alios, qui crebris exercebantur diarrhœis ingesti cibi quantitatem multum excedentibus. Falleris, si illis ex efficacissimis stomachicis, his verò ex theriacalibus & adstringentibus aliquod promiseris auxilium. Lac calidum præmissis per aliquot dies absorbentibus, mirum, quam egregium sit in vomitu & diarrhœâ scorbuticorum remedium. Initio saburrham vitiórum humorum ex pravis assumptis, in primis viis suspicabamur, ac emetica & purgantia indicari credebamus; at hypercatharses etiam lenissima pharmaca excipientes, nos docuère, quanto cum periculo à vulgo medicorum drastica illis obtrudantur. Ex adstringentium usu in leipothyriam, ad quam mirè proni sunt, incidunt. Efferas vernali, aut annuo illo, quo vulnerati quondam fuerunt, ac multum sanguinis profuderunt, tempore in orbem redeunti patiuntur hæmorrhagias, quas si cohibere satagas, in angustias inexpli- cabiles eos conjicies. Erysipelas vagum crebro experiuntur. Artus, imo totum aliquando cor-

pus varii generis maculis est conspersum. Maculam nigram majorem in tumorem elevatam per tibias diffusam plus simplici vice cum chirurgo conspeximus. Pustulæ prurigine molestæ colore vario lecti calore provocatae iis sunt perquam familiares. Tuberculæ dura ac varicosa, de quibus alibi, nisi fallimur, diximus, fese nobis obtulerunt. Pedes obsessos fœtidis ulceribus meminimus, inter quæ periculosissimum est crustosum, quod post maculam nigram erosâ cute fœtido pure initio sordidum, deinceps verò celeriter in sphacelum abit, ita ut ægri non sentiant immissa chirurgi instrumenta. Ulcera reliqua manantia in seram durant ætatem, & emplastris siccantibus tractata, aut gravioris morbi, aut mortis occasio evadunt, materiâ ad nobiliora viscera regurgitante. Pustulam citrini coloris in ulcus gangrenosum siccum, quod neque pus, neque saniem redderet, & latius cum exitio militis serperet, quondam advertimus. Enimverò si non ad peripheriam corporis motus vergat, & maculæ illæ, quod interdum fit, evanescant, gravissima alia mala Scorbutici incurruunt. Quidam anguntur asthmate convulsivo, difficulter respirant nullâ præsentí pectoris angustiâ, nullâ præsentí tussi, sibili, stertore &c. Convulsiones totius corporis his in locis paulò rarius scorbuticis molestæ sunt, nihilominus

nus viro juveni medicinam fecimus , cui variis intestinorum cruciatibus ac lancingationibus noctu diuque per multos menes torto convulsiones supervenerunt , comitanti & convulsiones & colicos intestinorum dolores , febri . Nec reperiuntur adeò multi , qui ex scorbuto paralytici sint ; maxima verò turba est eorum , quibus non tantum obtusus crurum dolor , sed & tensivus ac mordax cum punctione & erodenti gressum reddit impeditum ac difficilem , cujus generis molestiae in nonnullis manuum & digitorum extrema etiam occupant . Nihil crebriùs audias , quam flebiles de contusoriâ crurum lassitudine , & manuum etiam ad motum quemvis ineptitudine , ac arthriticis simillimo in articulis cruciatu cum levi partium resolutione coniuncto . Omnium maximè adversa hæc premunt miseros , cum principium agens in expellendis heterogeneis ad peripheriam corporis est occupatum , quando autem labor hic non ex voto succedit , pertinacissimæ cephalalgiæ , vertigines tenebricose , exquisitissimi dentium do lores , pleuritis notha & sexcenta alia mala , quibus etiam præsentibus maculis non vacant , noctu diu que illos exigitant . Ineffabiles angustias & sœvam cardialgiam observavimus aliquoties , antequam hydatides seu vesiculæ sero impuro turgidæ in cute prorumperent ; his verò efflorescentibus protinus sym-

symptomata omnia evanuerunt. Cum scorbutici in febrem incident ardenter , horrendis ac insuetis symptomatibus exagitantur. Præter spem enim & exspectationem typumque febris non tantum præcordialibus anxietatibus opprimuntur , sed in aphoniam , convulsiones , asthima , sæva deliria incident , ut de animi deliquiis , cardialgiâ &c. jam nullam injiciamus mentionem. Cessant verò symptomata , postquam purpura scorbutica in cute apparuit. Non adeò pridem antequam erumperent hæc scorbutica exanthemata in horribiles convulsiones lapsus est vir in consistente ætate constitutus. Alius , sed multò intemperantior febri correptus cum diarrhoeâ , tertio quartoquemorbi die deliravit , importunâ suâ loquacitate aliis molestus , at duabus ante eruptiō nem noctibus mentis alienatio tanta fuit , ut crederetur furere. Portentosa certè & sensibus & menti ejus sese objectare ex sermonibus feris innotesceret. Accedebat nervorum subsultus , quo non nervi modò ipsi , sed & artus , præsertim manus & brachia jactabantur , tandem toto corpore vehementer contremuit , jam jam epilepsiam instare credidisses. Postquam inhorruisset , protrusæ fuerunt ad ambitum corporis maculæ scorbuticæ , brevi post , represso delirio somnus obrepserit , & æger iterum convaluit. Illud scorbuticis affectibus est quasi

quasi peculiare, quod levibus profectò ex causis & occasionibus invalecant ac vehementia symptomatum usque ad summum vigorem citò perveniat. Cum verò terroris omnia sunt plena, & extrema quæque ab omnibus metuuntur, non tantum symptomatum vehementia sublítò remittit, sed & prorsus desinit. Præterea in eo à cæteris morbis differunt affectus scorbutici, quod illi stata quasi & fixa durationis, decursùs & redditùs tempora servent, hi vagi propemodum sint, inconstantes & ad nullas temporum leges adstricti, quamvis tempore æstivo magis ferociant. In sanguinis motu ac vitiatâ ejus texturâ, dyscrasiâ humorum causam scorbuti querendam esse, facile patet. Alii aciditatem stypticam, tanquam fontem viscidì ac viscosi sangvinis, alii acrimoniam causticam, & colliquantem, alii salinas corruptiones accusant. Juxta Willarium *tract. de scorbut. p. m. 99* & seq. sanguis in affectione scorbuticâ ita alteratur, ut vinum, quando nimium fervens degenerat in rancidum spiritu ejus depresso, sulphure verò ac sale exaltato, ac persvasus est vel à fervore sanguinis, ob exaltatum ejus sulphur, vel à falsedine & tardâ circulatione, quâ fit, ut fœculentiæ visceribus affricentur, varia scorbuti symptomata derivari posse. Qui Helmontium in oculis ferunt hoc in passu, ut Gremsius ac Horstius aliquique, lie-

nem accusant, frivolâ quidem ratione, ut cognitum est iis, quibus doctrina de fermento ventriculi ex liene oriundo penitus est perspecta, sed antiquâ traditione nixi, cum jam in Celso lib. 2 c. 7 legamus: *Quibus magni sunt lienes, his gingiva & mala sunt & os olet, aut sanguis aliquâ parte prorumpit.* Quorum si nihil evenit, necesse est in cruribus mala ulcera & ex his nigrae cicatrices fiant, quibus verbis scorbutum delineasse videri posset Celsus. Nobis non vacat prolixè ad examen aliorum revocare opiniones, ac profitemur nos cum iis facere, qui in explicandâ scorbuti naturâ ad impeditionem abundantis sanguinis motum, ac hinc dependentia humorum vitia utroque oculo in curâ respiciunt. V. S. in scorbuto non commendat Barbette lib. 4 c. 3, sed jam ostenderunt Willis & Conringius eam non posse simpliciter in scorbuto damnari. Nos sanè pereximiam ex illâ utilitatem ægros malo non inveterato percepisse vidi mus. Certè illud tempestivâ V. S. debito tempore celebratâ consecuti sumus, ut symptomata multum de ferociâ pristinâ remitterent, nihilominus ingenuè fatemur, nos nunquam in corporibus exsuccis, & ad sceletiformam ferè redactis eâ fuisse usos. Abstinuimus etiam ab illâ, qui nocturnis sudoribus diffluunt, nam ferè exciderat, scorbuticos sub levissimis tegumentis etiam hymen

me sœviente immodico sudore fatigari, ut jam ante nos observarunt alii, & disertè quidem Eu-galenus *p. m. 200.* Nec præsentibus maculis scorbuticis sanguinis missionem facile alicui svasimus. Draſticis purgantibus ac emeticis res scorbutico-rum in deterius labuntur, vernali tamen & autu-mnali tempore alvum nodulis ex laxantibus & antiscorbuticis compositis, blandè subduximus. Succus fumariæ cum sero lactis mixtus egregiè multis contulit. Rhabarb. orient. itidem subinde uſi sumus. Sudorifera validiora ægris lecto ob-rutis nunquam imperavimus metastases & exacerbationes mali, imo etiam paralyſin veriti. Ne-que unquam credimus, solidam fuisse causam Gvil. Romano, Medico Naumburgensi, cur adeò propter virtutem sudoriferam Lap. bezoar extol-leret, & cum Decocto lignorum in sudore expel-lendo æquipararet. Ad hæc pretium lapidis bezoar tantum est apud nos, ut egenorum, qui scor-buto maximè laborant, facultates ei emendo non sufficiant. Nec decoctis lignorum abusi sumus, niſi quod exiguum radicum & lignorum portio-nem interdum reliquis antiscorbuticis adjecerimus, & cum sero lactis decoqui curaverimus. Cæte-rum tametsi subinde locum apud nos habuerint ista medicamenta, quæ sanguinem crassum ac viscidum attenuant ac grumescētem resolvunt,

quæque lympham spissam in motum cident, quō nomine alibi volatilia. Ena urinosa in moderatā dosi commendavimus, nec radices helenii, pimpi-
nellæ, ari, in attenuandâ lymphâ spissescenti debi-
tâ laude fraudari queunt; nos tamen omnium
maximè antiscorbuticis inhærendum esse putavi-
mus. Vulgata antiscorbutica non promiscuè ap-
plicavimus, salino-amara & volatilia frigidiori-
bus & pituitosis scorbuticis præscripsimus, gnari,
quod biliosæ complexionis homines ω tu co-
chlear. nasturt. Eff. strobul. pini &c. offendantur,
ac usu edocti amara acidiusculis mixta palmam
reliquis præripere ac excedentem simul calorem
moderari. Conf. Sylvium p. m. 869. Cùm autem
sæpe contigerit, ut ignoti, nec unquam nobis visi
remedia antiscorbutica requirerent, iis quidem ac-
cipiendam in diffusioribus vehiculis e. g. potu
Thée, lacte vel sero caprino, decocto leniori ferè
commendavimus Mixturam celebris quondam
Practici D. Konerding:

R. ω cochlear.

Mixt. f. aa. p. iiiij.

Eff. nasturt.

chamædr. aa. p. j.

succ. cochlear. p. ij.

Solas autem guttas, quam immensis etiam præ-
conis divulgentur à Chymicis non multum pro-
desse posse hoc facilius cum doctiss. Pechlin. in.
Ob-

Observ. p. 179 credidimus, quod in ventriculi phlegmate magnâ sui parte attritæ halitum duntaxat aliquem in sanguinem transmittant, cuius vires jam ante debilitatæ corrigenda salsugini (aut sanguinis texturæ vitiatae) non sufficiant, aut protinus in illâ fluidi peccantis copiâ opprimantur. Cæterum potionibus istis, cum quibus misturam prædictam D. Konerding. aut aliam quamvis adhibendam esse diximus, nullis syrups saccharo coctis blandum conciliavimus saporem, memores prudentis moniti Horstiani, scorbuticos hisce curandos non esse. Invaluit apud nos usus infusi trifolii fibrini, quod sine additione sacchari, instar infusi Thée calidè à multis optato cum successu babitur. Nasturtium aut cum beccabunga in lacte coctum & per aliquot septimanas absorbentibus præmissis haustum in muliere quâdam reliquis omnibus remediis fastum fecisse scimus: Lac ebutyratum aliquis Sacerdos sumptis 20 aut 30 guttis ~ cochlear. copiosè superingestum magnis quondam efferebat laudibus. Martialia, cum scorbutici ferè semper sint hypochondriaci, etiam locum in nonnullis ægris habent. His, si quando indiguimus, ferè solo pulvere Wedeliano antiscorbutico sine laudano opiate contenti viximus, iste verò ex bezoard. & succino componitur. Luculenta ex diæta humectante & refrigerante commoda plus sim-

plici vice observavimus, & ortas inde inducias pau-
lo longiores, cum nullis remediis hunc morbum
ita expugnare licet, ut nunquam redeat. In curâ
ulcerum & affectuum scorbuticorum, simplicia,
quæ hinc inde Eugalenus, Reusnerus, Wierus, Joel
&c. commendant, teste repetitâ experientiâ, opti-
ma sunt. Ad gingivarum putrilaginem & ex-
ensionem præcavendam mature vacandum est, e-
mendandis exprimendisque gingivarum tumoribus;
& hi, ut verè Pechlinus, *salis corrosivi stagnantis-*
que sanguinis pleni non ante subsidunt, quam elutria-
to sanguine putrido & seroso acri, quo facto gingivis
firmitas per amara adstringentia & balsamica, quæ
tum ab aliis, tum Sebisio in *Spec. med. p. 483 &*
seq. recensentur concilianda est. Decoctum scor-
dii cum alumine usto, ☉ fixo & melle rosato, quod
Pechlinus laudat, multis profuisse certum est.

Ejectio medicamentorum non alteratorum. Hoc tempore ac deinde sæpius feci
Medicinam infantibus, qui non tantum
liquida & potulenta, sed & pulveres absque ullâ
mutationis notâ intra horæ spatiū rejecerunt.
Nuperrimè adhuc spectavimus illud in Patritii cu-
jusdam filiolo, à quo pulvis antispasmodicus cum
specifico cephalico mixtus ad præcavendum Epi-
lepsiæ, quam ante biduum passus fuerat, novum
insultum datus, vix elapsâ horâ secessit prorsus
non mutatus, id quod satis mirari non poterit, qui

in-

intestinorum longitudinem & flexum seriò perpenderit. Perplexos ea res nos tenuit hactenus. Quod modò allatum est exemplum, videtur svaldere, quod internarum partium convulsionem transitus hic assumptorum absque minimo immutationis indicio præsupponat. Enimvero puerulum quendam, qui ex atrophiâ totus contabuerat, ac pulchrè paucis remediis cum ingenti parentum gaudio restitutus videbatur, præter votum, ut incerta hominum spes esse solet, in æstum cum diarrhoeâ conjunctum post aliquot à recuperata sanitate septimanas incidentem tractavi, qui absque omni convulsionum internarum signo assumpta quævis & medicamenta per sedes eliminabat, penitus non alterata. An hic atoniā fibrarum & colliquationem accusabimus? Apud Cælium Aurelianum lib. 2 tardar. passion. cap. I (p. 316 Ed. Lugd.) leguntur seq.

Perulo paralyssi vitiato cibus nulla digestione mutatur, sed tanquam per infundibulum ad inferiora descendit & circum ventrem laxior locus efficitur inferius inflatiorque: quæ per ventrem egeruntur, aspera atque plurima erunt & neque fluida. Cinnarius ut perulum Cælii exprimeret, margini adscripsit πήρολος, & ut recte monuit æternum eruditæ Germaniæ decus Thom. Reinesius lib. 3 variar. lect. c. 18 p. m. 662 scribendum

Paralysis Pylori.

dum est πυλωρὸς & hanc lectionem Clariss. Amman in nuperā editione p. 346 secutus est *pyloro paralyſi vitiato* &c. Itaque quando dextrum ventriculi os, quod in ventriculo conclusa, tantisper dum cocta sint, custodire debet, paralyſi correptum est, ex mente Aurelianī recepti cibi & medicamenta protenus sine ullo alterationis vestigio ab alvo deturbantur, quod fortè sæpius fit, quam vulgo creditur, aut à Medicis hactenus observatum.

*Paralyſis fau-
cium & œſo-
phagi.*

Paralyſis, quæ fauces & œſophagum occupat, paulò est frequentior, quam in non paucis moribundis observavimus, de quâ Aurelianus *l. c.* legi potest. Triste, & cuius simile nec videre amplius optamus, præbuit nobis exemplum vir circiter quinquagenarius melancholi temperamenti, quod hâc occasione recensere liceat, tametsi casus hōc anno, cuius historiam damus, non contigerit. Is juventutem in aulâ egerat, postquam autem virilem ætatem attigisset, officio admotus est, quod eum toto die in scribendo occupavit, hinc verò solitudinis amor in eō crevit. Id vitæ genus cum per aliquot annos esset seſtatus, subito apoplexiā obruitur. Adhibitis idoneis remediis nihilominus παραπληγία latteris dextri successit, sed & ab hâc feliciter liberatus est, ita, ut ferè ad pristinum statum revertere- tur.

tur. Præterlapsis aliquot annis membrorum stupor resolutionem denuò instare nunciabat. Et verò ita planè evenit. Improviso enim obmutuit, usumque pedis utriusque amisit. Ad ipsum vocatus sine morâ advolo. Sensus utcunque erant integri, ratio etiam sibi quodammodo constabat, & innuebat sese me agnoscere. Maxime pere etiam conabatur loqui, sed verbum nullum distinctè aut integrè proferre poterat, quam operosè etiam illud moliretur, inconditus & confusus tantùm clamor erat. Linguam movebat, nec in eâ ullam coloris mutationem aut aliam quamvis differentiam deprehendere potui. Dum præscriptæ potionis avidè inhiat, ejusque zīj circiter ori infundit, miser experitur, se illam deglutire non posse, ac ita circumstantibus nobis patefecit, musculos laryngi & pharyngi communes à paralysi non esse immunes. Post injectos clysteres, aperatas raninas & medianam, ut vocant, perfusam spirituosis linimentis diu multumque nucham, dorsique regionem, post immissam per syringam varia morbo debellando idonea remedia, post fauces tum aliis, tum oleo cinamomi imbutas, vesicatoria applicata, aliaque molimina potum aliquantò diutius retinebat, sed sensuum torpormajor erat, manus quoque intumescebant; nihilo minus liquida injecta non immutata reddere co-

gebatur. Id quod argumento erat, ipsum œsophagum gravissimâ paralysi esse affectum, atque virtutem medicamentorum ad eum non fuisse diffusam, quæ tamen quadantenus in faucibus, ut ex deglutitionis rudimentis apparebat, fese exeruerat. Lugubris illa sors afflictissimum virum per octo dies pressit. Nullis verbis exprimi potest, quantis cum lacrymis & ejulatu, quam flebili gestu potum desideraverit. Altero morbi die iussus breviter in chartâ adscribere, quānam re potissimum affligeretur, inextinguibili se siti urgeri calamo interprete significavit. Truculentia affectū tandem hominem occidit. Neque appetet, quomodo huic morbo occurri debeat. At alia res est, cum fibræ spirales in mediâ ventriculi tunicâ spasmo constrictæ sunt, ac muneri deglutitionis inservire nequeunt. Pertinax quidem & hoc malum est, & per multas, ut aliquoties experti sumus, septimanas recurrit, tandem tamen antispasmodicis selectioribus expugnari potest. Non tantum vulgus, sed & ipsi Medici de Paralyssi mussitant, cum spasmatica œsophagi stricture alimentorum transmissioni obicem ponit, qui tamen audiendi non sunt, ac eos ipfos post intervallo aliquothorarum liberum relaxatâ istâ constrictione potulentorum & esculentorum ad ventriculum iter, ac sermonis usus non adeò quidem expedi-

peditus, non tamen planè sublatus redarguit & erroris convincit. Tum verò neque de paralysi, neque de spasmo cogitandum est, cùm, quod etiam meminimus aliquoties à nobis observatum, cibus solidus absque difficultate, juscula verò ac liquida omnia non sine præsenti suffocationis metu deglutiuntur. Discussis enim omnibus nihil vero similius occurrit, quam vitium aliquod in epiglottide hærere, quod impedit, quò minus re- & tè & accuratè tegat arteriam asperam. Dum itaque cibi solidiores epiglottidem validius comprimunt, absque suffocationis periculo in ventriculum demittuntur, liquida verò cum huic compressioni non adeò apta sint, fit, ut in arteriam asperam non ritè clausam delabantur, ac eō ipso spiritum præcludant ac suffocationis metum afferant.

Venæsectionis efficaciam in Rauce- *Venesectio in
Raucedine.*
dine notabilem hōc anno observavimus.

Virgo religiosam vitam professa sanguinei tempe-
ramenti & floridi corporis habitūs, cui menses ritè
semper fluxerant, bis terve in anno raucedine cor-
ripitur. Illa nulli cessit remedio, nisi soli V.S. &
quod me, ac nuper etiam meum in curâ illarum
Religiosarum successorem D. Klaunig in admira-
tionem rapuit, hoc est, quod, simulac sangvis ex
pertusâ venâ effluere incipit, vox clarescat, & ab-

solutâ V. Sectione nullum raucedinis vestigium remaneat. Expertus sum etiam in duabus aliis virginibus, quantum V. S. in raucedine valeat, sed effectu non æquè prompto ac in sensus incurrenti. Impensè verò dolemus, quod V. S. successum in quinquagenario illo, cuius mentionem fecimus in Hist. M. A. 1699 p. 67 (editionis primæ) non fuerimus periclitati, sed potius nos strigosî corporis siccitate à generoso hoc remedio deterreri passi fuerimus.

Hernia. Vidimus hoc anno in viro hernioso scrotum magnitudine vastâ, illudque referebat figuram cucurbitæ oblongæ majoris. Sine dubio in illud sine fascia convenienti pendulum magna defluxerat intestinorum pars. Sed hoc peculiare & admiratione dignum censuimus, quod ob hanc Scroti portentosam magnitudinem & distensionem penis planè intrò retractus esset, ut in hypochastrio, seu superiori scroti parte nullum ejus vestigium appareret, præter foveam, quæ ad glandem intus latitantem pertingebat. Ex foveâ hâc urina effluebat, sed necesse erat, ut quotiescumque urinam reddere vellet, manu tumorem reprimere & ita foveam dilataret. Hoc officio, nisi manus fuisset defuncta, urina in scrotum decidebat, & per ejus longitudinem destillabat. Ad hæc eum corpore incurvato mingere oportebat, nam

si erectus urinam reddere vellet, lotium non rectâ procedebat , sed propter urethram distortam versus abdomen effundebatur , quod olim non tantum Imperatori Heraclio, teste Zonarâ, contigit , verùm etiam aliis. Certè alicubi huic per omnia simile exemplum ante multos annos nos legisse recordamur. Verba Zonaræ de Heraclio hæc sunt: *Ferunt etiam pudendum ejus universum sursum urinam emississe, eumque nisi tabula apponetur, faciem suam comminxisse.* Non obscurè totum hoc & vulgus, & ipse Zonaras ad vindictam divinam ob Monotheletarum hæresin & ductam in uxorem fratris filiam referebat. *Hoc anno ac sequenti etiam famosus agyrta* multos herniosos, quo fato etiam mihi vir ille , de quo jam jam locuti sumus , innotuit , cum castratione alterutrius testiculi secuit. Tametsi verò non in omnibus feliciter hæc temeritas ei cesserit , sed vel in ipsa crudeli operatione pueri quidam convulsi exspirarent , vel eâdem peractâ vomitibus & epilepsia fatigati charis parentibus tandem per mortem eriperentur ; ea tamen multorum dementia fuit, ut vel semetipsos , vel suos imperito artificis cultro certatim subjicerent. Opposuimus huic nos torrenti pro virili , & ostendimus tum quidem temporis nobis præeunte Schradero in Dec. i Observ. 6, quâ anatomen cadaveris virilis ab Hornio 1669

instituti describit, & *Decad. 2 Observat. 1* quæ dissectionem herniosi sistit, ac Bidloo *Anatom. tab. 32*, quantoperè principiis anatomicis tralatitia herniotomorum de ramice opinio repugnet. Confirmati sumus postmodum in hâc nostrâ sententiâ per suffragium Domini D. Bohnii summi anatomici in lectu dignissimo *de officio Medici opere c. 22 p. 523* & seqq. Accenderunt nuper [nobis adhuc] clarius lumen ingeniosæ observationes de herniis celeberr. Domini Mery dans les *Memoires de l' Academie Royale de sciences pour l' année 1701 p. 356* & seqq. ut jam nulli ambigamus, herniotomiam vulgarem ignorantiae veræ ramicum ætiologiæ ac conformatiōnis processuum peritonæi & vasorum spermaticorum, originem progressumque unicè debere. Parum verò dissensiones nostræ apud multos valuerunt, ac ferenda fuit, perinde ut in aliis usu venire s̄evit, vulgarium hominum temeritas. Hâc in re secuti sumus prudens monitum Fortunati Fidelis : *Si acriter illorum insaniam reprehendas, ad iurgia profecto, quod gravis Medici non est, devenias tandem oportet: si disserendo falsas velis illorum opiniones studiosè nimis & accurate deprimere, frustra id atque indecorè cum imperito homine ac rerum medicarum ignaro laborabis.* Hæc ille in *Medic. Patrocinio lib. 4 c. 5 p. 24.* Nos profectò quamdiu medicinam fecimus, nul-

nulli fuimus auctores, ut circumforaneorum crudelitati sese permitteret, sed quantum in nobis, fuit, laboravimus, ut herniosis per bracheria & debita remedia opitularemur. Pressimus in curâ vestigia celebrium Medicorum & Chirurgorum. Facilis est methodus, quam post tot alios nuper commendavit Dionis *dans le Cours d'operations de Chirurgie demontrées au Jardin royal p. m. 288 & seqq.* Novum illud herniarum genus, quod detexit Mons. Littre in *Memoires de l' academie des sciences pour l' année 1700 p. 384 & seqq.* nostram in observando diligentiam hactenus effugit. Mirabile illud est & aliorum quoque industriae commendandum. Describitur verò in modo laudatâ *Academia Regia scientiarum Historia* his verbis: *Une portion d'intestin s'engage dans un anneau, mais non pas entiere, Il n'y a qu'un des cotes du canal de l'intestin, dont la membrane, quelque cause que se soit, s'enfonce dans l'anneau, s'y allonge peu à peu, & forme à la fin un tuyau sans issue, droit & simple, semblable à une branche, qui se jette à coté de son tronc &c.*

Curæ Vernales, de quibus aliquid dicendum restat, apud Vratislavienses in magno habentur pretio, & quondam Medicis non ingratæ erant. Nostri certè antecessores studiosè videntur inculcasse utilitatem, imò & opinionem

Cure Vernalles.

nionem de necessitate earum fovisse, nam florentibus tūm incolarūm rebus, ut fando accepimus, & hodiē adhuc quidam, quamvis oppidō rari, veteris consuetudinis, ut ipsimē prædicant, retinentiores munusculo testantur, Medici V. S. celebratā unctiores domum redibant. Brevi autem ambitu ferè apud nos cura, quam vocant, Majalis circumscribitur, nempe purgatione & V. S. absolvitur, & illa quidem non omnibus æquè necessaria judicatur, hæc verò ab iis præcipue, qui pristini in ornando Medicō moris sunt servantes, sine piaculo & periculo maximorum morborum omitti non potest. Nos, qui nunquam, absit arrogantia dicto, aliorum commodis insidiā struximus, quique res Medicorum hisce temporibus ferreis nullatenus reddere cupimus deteriores, conscientiæ nostræ dictamen secuti etiam cum damno nostro pro re natâ ostendere coacti sumus, curationes illas vernales nequaquam omnibus, qui olim illis usi, esse necessarias aut utiles. Neque hīc substitimus, quinimò hallucinari demonstravimus eos, qui purgatione semper opus esse contendunt, cum evidens sit, noxios humores, non solâ purgatione, sed & per urinam ac sudorem è corpore eliminari posse. Sed nonne etiam abunde constat, quod multi non evacuationibus, sed correctione humorum indigeant?

His

His annon præscribenda ea sunt, quæ humores corrigunt ac temperant? Hinc non pauci evidentiâ rerum convicti sententiam mutârunt, ac ferè in oppositam lapsi sunt, quasi V. S. ac purgatione nunquam, sed solâ sangvinis depuratione, ut loqvuntur, esset opus. Enarrabimus breviter, quomodo ad multorum votum curas has administraverimus. Quando & Venæ sectione & purgatione opus esse agnovimus, hanc contra multorum sententiam illi postposuimus, & à V. S. initium fecimus. Venæ sectionem autem necessariam esse judicavimus 1) Plethoricis. Nam quantum plethora periculum minitetur, nemini in medicinâ versato ignotum esse potest. 2) quibus conservetæ sangvinis evacuationes v. g. menses in fœminis, hæmorrhoides in viris suppressæ fuerunt, ac in utroque hoc casu V. S. in pedibus svasimus. 3) Iis, qui hæmorrhagiis enormioribus obnoxii sunt, ad præoccupandas violentiores sangvinis effusiones, quod multis ex voto succedit. 4) Quorum sanguis viscidus & crassus est, multoties experti, quod, quando sanguis à naturali suâ fluiditate abit, ac in vasis stagnat, si accedant frictiones & medicamenta resolventia, insigni usu sese commendet V. S. imprimis si in hypochondriis & abdomine tensiones variæ sentiantur, ubi iterum V. S. in partibus inferioribus ma-

gis è re esse , quam in superioribus , compertum est. Tandem 5) ex cacochymis etiam illis , qui biliosæ calidæque sunt complexionis , sed fere tum demum , si per multos annos sanguinis depletioni fuerint adsueti . Tribuendum hīc multum est consuetudini , præterquam enim , quod verè nocere queat , teste experientia , in assuetis omissio V. S. id etiam damni in medicum redundat , quod pravo ejus consilio , si quando in ægritudinem deinceps ejusmodi cacochymus incidat , morbus unicè adscribatur . Itaque in hujusmodi circumstantiis V. S. haud illibenter admisimus . Quamvis enim negari nequeat , quod cum vena fuerit aperta , sanguis bonus malusque nullo delectu fluat , certum tamen est , & experientiæ fide comprobatum , à boni etiam sanguinis jactura in quantitate non adeò magnâ , nullum imminere corpori periculum , dempto autem ex parte vitioso sanguine , id quod ex eo reliquum est , melius corrigi ac superari posse . Contra receptum verò morem , non in Majo , sed in Martio , ubi dicto fuerunt , qui consilium implorarunt , audientes , vernales has V. S. instituimus . Nec dubitavimus , V. S. floridis senibus , etiam septuagenariis , ubi nostris consiliis locus datus est , svadere . Enim verò dici non potest , quantopere non tantùm hi , sed iis ætate minores , puta sexagenarii , imò & quin-

quinquagenarii à V. S. falsis excoecati præjudiciis abhorreant. V. S. præmissâ, ubi opus fuit, purgantia fuere exhibita', non tamen omnibus eadem. Utut enim electivè, quæ vocant, purgantia non admittamus, usu rerum edocti, quod e.g. rhabarbarum non tantum bilem, sed & serum, jalappa non serum modò, sed & bilem, ac helleborus non tantùm fœces adustas, sed etiam bilem ac pituitam, ac denique catharticum quodvis justâ dosi omnis generis humores ex corpore faciat exire: negari tamen non potest, alia aliis evacuantia magis conducere. Mirè Vratislaviensibus placet formula pilularis, unde etiam celebri Poëtæ ac inclyti senatûs Præsidi de Hoffmanswaldau elegantissimi versus nati sunt. Primum autem obtinent locum apud nos pilulæ cephali-co-hystericæ, quarum compositio hæc est:

R. Extr. colocynth.

ref. jalap. aa. ʒ. 3.

G dul. ʒij.

Extr. helleb. nig. ʒ. iiij.

castor. (quod communiter omittitur, nisi expresse additio præcipiatur) ʒij.

Sufficiunt validioribus gr. xij. xv. ad summum xvij. vel xx, quamvis etiam vij. viiiij. grana quosdam satis commoveant. Non semper tamen eadem chorda oberravimus. Tùm temporis in

creberrimo nobis usū erant etiam sequ. formulæ:

R. **m̄p.** de hier. c. agar. vel Extr. panchym. Croll. gr. xv.
gumm. **H**ci in aceto solut. **ʒ**β.
Extr. trochisc. alhand. gr. j. vel ij.
c. f. q. Elix. propr. f. l. a. pilulæ.

R. Extr. agar. vel resn. agar. gr. xij. vel xv.
Magist. gum. de Peru gr. vj.
⊖l. **⊕l.** gr. ij.
c. syr. de stœch. f. l. a. pilul. consperg.
pulv. liquir.

R. **m̄p.** de lapide Lazul. **ʒ**j.
Magist. gum. de Peru gr. v. vel vij.
⊖l. **⊕l.** gr. iiij.
c. f. q. Tinct. ♂t. **⊕l.** aut syr. de epithym.
f. l. a. pilulæ.

Nemo nisi expertus credere potest, quantoperè ultimæ hæ strigosis corporibus, ac ita dictis melancholicis prosint. Cave itaque propter antiquam massam, quæ multis modò non est ad palatum, eas despicatui habeas.

R. Extract. rhabarb. **ʒ**j.
Res. scamm. gr. vj.
c. f. q. syr. de cich. c rhab. f. Pilul.

Olea destillata nec pilulis nec reliquis purgantibus per decem fere annos addidimus, tūm quod purgantium vim retundant, tūm quod secus ac multi alii crediderunt, evacuantibus sociata, tormina excitent. Pulveres nostri purgantes ex diagryd. aut rad. jalapp. pulveris. cum **⊖l.** & diaph. &c.

com-

componuntur. Ultra 12 grana diagryd. vix dedimus. Sæpius adjecimus pulveribus purgantibus duo aut tria grana ori fulminantis, neque enim negari potest, quod hâc viâ & virtus purgantium extollatur, ut in minori dosi operentur, & tormina egregiè præcaveantur. Convicti sumus de veritate nostræ sententiæ ex eô potissimum, quod idem purgans in majori dosi exhibitum absque \ominus fulminante segniter, & cum multâ intestinorum torsione sedes excitârit, ipsissimum autem illud præscriptum uni eidemque Sacerdoti in minori dosi, sed duobus croci \ominus lis granis mixtum absque ullo molesto in intestinis sensu pluries alvum laxârit. Cœpit ante annos aliquot calx illa \ominus is nonnullis Practicis esse suspecta, quod infanti cui-dam fatum accelerâsse crederetur. Vocatus Medicus ad infantem diris torminibus exagitatum, cum ex lactis acescentis cum bile ac succo pancreatico in intestino duodeno congressu, vel fortassis ex solo lacte congrumato sensim ardoris & doloris derivaret ac epilepsiam metueret, ad imitationem Cl. Lentilii pulverem, nisi fallimur ex \oplus ro & \ominus fulmin. præscribit. Sumpto medicamento tanta fibrarum atonia ac motuum in intestinis fercia secuta est, ut omnia, quæ infanti infunderentur citius ab alvo (ita mihi narrârunt, qui infanti adstiterunt) deturbarentur, quam fundum ven-

triculi attigisse adstantes conjicerent. Itu oculi
citius omnia secessisse matris vox erat. Hac diar-
rhœa exhaustus infans interiit. In Medicum cul-
pa conjicitur mortis, ac fama ejus vehementer, ut
fieri solet, oneratur. Indubium est, quod infan-
tes absque ullo pharmacô sumptô ejusmodi diar-
rhœa colliquativâ non raro confiantur. Nec
esset, cur causæ suæ, si coram tribunali medico
disceptaretur, anxiè metueret medicus, cum vi-
tiosa ista materia, quæ torminibus ansam præ-
bebat, sive in ventriculo, sive in intestinis hære-
ret, proscriptionem ac eliminationem ex corpore
indicaverit. Hanc verò etiam Lentiliano pulve-
re exterminari potuisse non adeò multi fortè infi-
ciarentur medici. Iste, qui curæ præfuerat, à
Pharmacopœo peccatum fuisse, aut alium quem-
piam offerendo pulverem, aut commisso in præ-
parando oro fulmin. errore, contendebat, quâ de
re nostrum non est judicare. Quicquid tandem
de hoc casu dicatur, nos seriò affirmare possu-
mus, nullum ex usu calcis hujus cuidam, quan-
tum nobis quidem constat, ægro natum incom-
modum & audemus spondere, nec ex usu istius
in posterum noxam esse metuendam, modò q̄is
tantillum, quod ducato fuerit admixtum providè
amoveatur (ne particulæ q̄eæ cum croco oīs com-
misceantur) & deinceps cum ♂ aut alio salino in
mor-

mortario orichalceo o fulmin non subigatur , ac tandem à medico debito tempore & loco adhibeatur. Verum hæc obiter. Prætereà nobis familiarissimo in usu est potio ex v laxat. Viennens. eff. tri, speciebus diaqri ac syr. quodam e. g. regio, domestico , de cichor. c. rhab. diafer. Andernac &c. ut quondam fuit Sydenhamii. Ex speciebus diaqri Myns. ej sufficit, raroque ad 3^{as} ascendumus. Grana 8 vel 10 Resinæ jalapp. vel scammon. in vitell. ov. soluta & cum v viol. fl. acac. &c. ac julep. ros. borrag. &c. mixta sufficienter evacuant. Emulsio hæc grata est, nec nostratum delicatius istam respuit palatum. Noduli quoque ex radicibus , herbis ac laxantibus à quibusdam expetuntur. Addidimus hisce utplurimum semina anisi, carvi & aromatum quiddam, ut tranquillus agerent & sine stomachi injuria. Infusorum horum vires facile & innoxie intenduntur, si singulis dosibus liquor. q q sat. gt. 30 adje- ceris, quô ipso etiam tormenta præcaventur. Bolos & Electuaria plurimi inter nostros fastidiunt. Pridiè purgationis quidam digestivis , ut vocare mos est, non malo utique consilio & successu utuntur, quorum loco sicciores, quibus frustra interdum opinionem de necessitate purgantis excutere fategeris, ad lubricandas vias, liberalius haurire jussi sunt jusculum,cui rad. alth. incocta,id quod

ab

ab ipsis cum maximâ eorum utilitate factum est. Non tamen nostrô nos defunctos credidimus officio, nisi etiam pro virili correctioni humorum incumberemus. In hâc autem humorum correctione non habuimus ante oculos nostros multiplicitia illa craseos humorum vitia, quæ nimis sollicito studio veteres, quos aliâs tam libenter defendimus, quam alii impetunt, in scriptis suis explicant, multò minus sexcentos illos salinos recentium sapore, acidum, falsum, ponticum, austерum, causticum, colliquativum, amarum &c. ac horum omnium innumerabiles inexplicabilesque misturas & gradus; sed 1) visciditatem & crassitatem, 2) autem istam falsedinem, quæ ad salis culinaris acrioris, aut acetositatis indolem propius accedit, fere unicè respeximus. Præter medicamenta nostra commendavimus ægris placidos corporis motus ac sufficientem per potum dilutionem, unde ubiores, quam ex remediis ipsis perceperunt utilitates. Nuper hîc locorum, ut illud obiter addamus, cœpit innotescere cura quædam sordida per lotium vaccæ vernali tempore in floriferis pratis pastæ sub ortum solis affatim haustum, quam Galli, quibus initia debet, rem turpem pulchro velaturi nomine vocant la cure de mille fleurs, occasione, nisi fallimur, sumpta ab aquâ omnium florum. Fœminam 50 anno-

rum

rum ascite laborantem, remediis aliis parum proficientibus hâc curâ fuisse restitutam D. Klaunig compertum habet. Cæteroquin nobis hactenùs adeò felicibus esse non licuit, ut totam sanguinis massam jam vapescientem in integrum restituere licuerit. Novimus, qui sesquipedalibus verbis per arcana sua hoc pollicentur. *Miramur & istos, & nostri nos pœnitent.* His enim mysteriis plus quam eleusynis initiati non sumus. Sicut enim lac aceſcens, vinum rancidum &c. arte in pristinam naturam restitui non potest, ita forte nec sanguis illis analogia respondens, ubi semel mistura & compages ejus vel soluta fuerit prædominante quâdam ejus parte, vel per interpositionem materiarum noxiarum graviorem subiit mutationem, notis medicamentis in antiquum reducitur statum. Non ignoramus Paracelsum olim jactâſſe, à se inventum tale medicamentum, quod omnia vitia sanguinis mutet, & illum in optimam convertat temperiem, sed dolemus, quod si unquam tanti arcani conscius fuit, humanum genus ejus cognitione privârit. Quantum sibi mortales obſtrinxiffset Helmontius, si eos docuiffset, quodnam illud sit, cuius ſubtiliſſimo ac penetran- tiſſimo impulſu fermentativo, quodvis heterogeneum & excedens promptè è ſanguine separare- tur. Neque enim iis pollicem premimus, qui di-

Etatoria auctoritate decernunt, ejusmodi medicamentum his dotibus ex parte præditum nullum inveniri posse. Palma in medio posita est. Hoc tamen asserimus, nullum ad hunc usque diem remedium nobis innotuisse hisce facultatibus instrutum, omniaque illa, quæ hic & alibi vendita fuerunt, licet vires eorum magnificis verbis depraedicarentur, tanti nominis mensuram non implevisse.

Constitutio aëris in Mense Julio, Augusto, Septembris.

Per omnes ferè Mensis Julii dies aut venti spiraverunt, aut pluviæ, immò imbres impetuosi deciderunt; & ut non de tonitru, fulgure &c. quicquam dicamus, 15, 16, 17, 18, 19, 26. magna aëris erat inclemensia. Nec Augusti initia erant blandiora partim propter pluvias, partim propter auram frigidorem. Et cum dies ab 11 usque ad 14 nobis illuxissent sereni, reliqui ad 21 usque ventis molesti, ac pluviâ turbidi erant. Tandem post nubila phœbus nos respexit; quippe aëre gratissimo ferè in fine m usque mensis usi sumus. Cum Septembri ingressu ventorum ac pluviarum injurias iterum experiebamur, at tedium nostrum per aëris serenitatem iterum fuit abstersum, usque in 12. Hunc qui excipiabant 13, 14, 15 & 16 iterum propter pluvias incidentes non adeò grati fuerunt. Secuti deinde iterum sunt quinque dies admodum sereni, quibus,

ut

ut mortalium res vicissitudinibus obnoxiæ, successerunt unus ventorum tumultu, alii pluviis infesti. In ultimis duobus aër satis temperatus.

Multi hoc tempore longis ac tædiosis fatigabantur febribus, sine dubio, quod per pluviosam tempestatem plurimæ aquosæ superfluitates in corpore cumularentur. Infantes ac pueros Epilepsia premebat, quod argumento est, ex imbris cerebrum graviter affici, ac pravis gravari humoribus. Gutturis ac faucium tumores adolescentibus ac juvenibus erant familiares. Cacochymici ulceribus sordidis ac mali moris cruciabantur. Ita etiam in his plagis septentrionalibus locum obtinet *Aphorismus Hippocratis 16 lib. 3*, qui ita habet: *morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, & apoplexia & angina*, quamvis hoc tempore apoplexias & anginas non tractaverimus, imò nec putredines, si per eas cum aliquibus interpretibus intelligas partium solidarum corruptiones, gangrenam & sphacelum.

Præterea verò morbis hoc tempore *vomitus* grassantibus jungabantur vomitus, imò sine complicatione aliorum morborum, etiam multi assumpta vel quantitate nimiâ, vel qualitate ventriculo molesta per vomitum rejiciebant. In ul-

timis hisce vomitibus compescendis non prope-
rabamus, modò ii, qui vomerent, facile tolera-
rent, & non vehementer angerentur, non essent
herniosi, phthisi vel tabe affecti, hæmoptoici aut
hæmorrhagiis aliis obnoxii, asthmatici vel angusti
admodum pectoris, aut tandem morbis aliis ex-
hausti. Omnia minimè verò moras traximus,
quando singultuosæ præcordiorum & hypochon-
driorum concussions cum vertigine & deliquiis,
ut & deliriis conjungebantur, horum vomitus
compescendos illicò esse putavimus. His parum
præsidii erat in roborantibus ventriculum, aut sto-
machicis, sed plurimùm in theriacalibus. Ulti-
mi hi vomitus cum semper nobis essent suspecti,
ægris quietem imperavimus, & usum alexiphar-
macorum cum regimine sudorifero. Eandem
ferè methodum servavimus in nimiis febricitan-
tium vomitibus, quibus multi torquebantur non se-
cus ac febricitantes in anno proximè elapso. Cum
enim ab hinc tribus ferè lustris in acutarum ma-
lignantumque febrium vomitibus eandem, quam
in pestilentibus spondet Sydenhamius, ex alexi-
pharmacis & sudoriferis percepissimus utilitatem,
huic viæ constanter posthac institimus etiam in
aliarum febrium vomitoriis defatigationibus, imò
in nauseâ paulò graviori: ac spes nostra minimè
nos fefellit. Subjunximus rebus jam tranquillis
ad

ad exemplum Riverii in malignis acetositatem
citri, tūm ad temperandum sanguinis æstum, tūm
virulentiam miasmatis expugnandam. Ab aro-
maticis omnibus & præcipue ab oleis destillatis
cinamom. menthæ & opio sedulò cavimus. Ex-
ternè Theriacam in formâ emplastrî non raro or-
dinavimus, consilium D. Ludovici sequentes. Ex
eô solô in Pictore hypochondriaco internorum u-
sum abhorrenti in febri acutâ ita invalescentibus
vomitibus, ut non vanus esset metus morbi iliaci,
stupendum vidit ac deprædicat effectum D. Klau-
nig. Non rarò etiam imposuimus emplastrum
de crustâ panis, mastichinum & oleo menthæ,
(cum jam Hippocrat. lib. 2 de diæta, textu 26 teste-
tur, mentham vomitum sistere) aut caryophyllo-
rum malaxatum. Præsenti ope se se etiam com-
mendat ω vini camphoratus cum + fl. tunicæ
mistus. Nec emplastrum de galbano cum cam-
phorâ prorsus rejiciendum est. Usum mulsi cum
ruta in vomitu singultuoso in Polono mulsi a-
mantissimo absque effectu præscripsimus, com-
mendatum olim ab Heurnio lib. 2 method. ad Pra-
xin. c. 21. Porrò etiam multi ex tussientibus,
quorum non paucos hisce diebus reperire licebat,
facilè ea, quæ in capacitatem ventriculi hærebant,
per vomitum expurgabant, sive id contingenter
propter viscerum abdominis compressionem in

tussi violentiori, sive propter nervorum communionem, (in aprico est, pulmones à pari vago ante quam ventriculo inferatur furculos conspectiores recipere) sive tandem propter nexus arteriæ asperæ per tussim irritatae, cum cesophago, cuius superior pars pharynx digito, aut alio quovis modo solicitata vomitum, aut vomendi conatum provocat. Tussis & per consequens etiam vomitus à tussi dependens laxantibus lenioribus bisterve repetitis sedabatur. Prægnantes multò gravius quam alio tempore, etiam post medium gestationis tempus vomitibus delassabantur. Pilulis Beccheri potissimum sublevabantur; Eſſ. etiam rorismarini quibusdam cum utilitate fuit propinata; nec destituit ſpem Mistura ex

Eſſ. milleſol.

cort. Ot. aa. p. ij.

Elix. Ⓣl. Mynſ. p. j.

in vino, cui ſummitates roris inar. fuerunt immifſæ, exhibita.

*Appetitus de-
pravatus.* Varia depravati appetitiis paradi-
gmata & in virginibus ante mensium flu-
xum, vel in eorundem suppressione, ac in gravidis,
quin etiam in illis foeminis, quibus menses ritè flue-
bant, itidem his mensibus ſpectavimus. Cura
ardua, quod proxima mali cauſa non adeò ſit co-
gnita. Menſtruorum suppressio picam inducere

non

non potuit, quod, ut jam diximus, etiam mulieres ab illâ immunes, res absurdas, una e. g. vivum Lucium, altera carbones, tertia corium cordubense &c. impensè appetierint. Et quot quæso non deprehendere licet foeminas mensium suppressione per semestre spatium laborantes, inter quas tamen alio tempore vix una insuetis his, ac hominis alimento non destinatis rebus unicè delegetur? Humorum corruptio vulgò accusatur, sed modus & species corruptionis non explicatur. Hysterica pathemata, utut in excludendo hōc malō partes aliquas sibi vindicare queant; sola tamen mala-ciam parere vix admiserit Hildanus *Cent. I Obs. 37* non obscurè innuens ex ulcere circa fauces in muliere appetitum vitiosum esse ortum. Nos ex diversitate appetitus diversitatem humorum peccantium pravo appetitui ansam suppeditantium conjectando assequi conati sumus. Cum verò affatim conjecturarum, quæ potius turbant, quam erudiunt, in medicina sit, nos hāc vice subtice-mus, donec dies nos meliora edoceat. Debole etiam fuit lumen, quod ab opposito certorum ciborum fastidio aut nativo aut adventitio petere licuit. Nam quantum ad congenitum fastidium pertinet, ejus causa ad matris gravidæ imaginatio-nem refertur, sed teneras contigit nobis tractare puellas pulvere lateruni, cretā, filamentis linteo-
rum

rum avidissimè vescentes, quorum desiderio ma-
tres gravidæ non tenebantur, quamvis non ne-
sciamus contrarium exemplum legi apud Tulpium
lib. 2 Observ. 24, scilicet quod vitiosus halecum
matris gravidæ appetitus in infantem ita transie-
rit, ut ejulatu, quos nondum poterat verbis, ha-
leces appeteret. Ascititiam autem aversationem
quod concernit, negari nequit, quod saepe solum
erroneum de pravitate hujus vel illius cibi judi-
cium per consuetudinem confirmatum pariat
nauseam; sed ejusmodi præjudicium multis an-
nis radices agens in stolido illo appetitu rerum no-
xiarum non cernitur. Deinde pendet illa con-
stans certorum alimentorum nausea aliquando in-
de, quod eadem ipsa alimenta aut minus mundè
præparata, aut in nimia quantitate ad repletionem
nauseabundam avidè ingesta fuerint, cuius rei me-
moria perpetuò præsens aversationem istam con-
stantem fovet. Sed quid hinc eruas, quod faciat
ad illustrandam appetitùs istius noxii causam? An
absurda olim nitidè eleganterque cum multo pa-
lati lenocinio præparata, eademque ante annos
aliquot cum voluptate assumpta faciunt, ut ex so-
lā perceptæ voluptatis jucunda recordatione desi-
derium fruendi iis denuò reviviscat? Sed quicquid
tandem de curâ picæ sit, bene est, quod gravidæ
nostræ innoxiè peregrina ac prorsus aliena come-
derint?

derint? Non datum est, nosse, quos syrups de agrestâ ceras. acid. ribium, berber. &c. à vitioso isto appetitu revocaverit. Nec majora incommoda eæ sunt perpeſſæ, quæ ab omnibus remediis abstinebant, quam illæ, quæ studiosissimè & syrupis istis & tragæis stomachicis ex specieb. aromat. rosat. & caryophyll. diaxyloaloe, rosat. novell. &c. utebantur. Enim verò puellæ & fœminæ non gravidæ petulantiam hanc suam gravide luebant, præcipites enim in cachexiam, obstructionem mensium &c. devolvebantur. Ab his corporis malis non nisi laxantibus saepius repetitis, abſtergentibus, vomitoriis levioribus, absorbentibus, anticachecticis, stomachicis &c. sublevabantur. Relabuntur autem facillimè in pristinos mores ac morbos restitutæ, nec nisi expertus crediderit, quanti sit labore efferum hunc cicurare appetitum. Notum est non Medicis ſolum, ſed & præcipuis quibusvis, quænam ſint acta hic locorum ad avocandam supremi ſubſelli heram ab immoderatâ proſſus ceræ ac cereorum ingluvie. Cerei primùm manibus mortuorum inserti, ac deinde ori etiam in præſentiâ ejus, niſi fallimur, immissi, ſucco colocynth. imbuti fuerunt, non defiere tamen eſſe unicæ ejus deliciæ, quibus avidiſſimè, modò nancisci poſſet, & cum ſummo jucunditatis ſenſu frueretur.

Cholera. Homo cæteroquin satis robustus cholericæ temperamenti incidebat in ferocem affectum Cholericum. Cucumeribus, ut non paucorum mos apud nos est, ventriculum distenderat, ac turbidam cerevisiam ingurgitarâ ad lit. vj. circiter. Post prandium abjectâ tunicâ ad labores sese accinxerat, à suorum quodam irritatus vehementer excandescit, sed iracundiam dissimulat. Post duarum horarum intervalla gravitatem maximam & angustiam immanem cum dolore in ventriculo percipit. Turbatur etiam caput, mens percellitur. Brevi post præterlapsis quinque circiter à prandio horis nauseat, ac animi defectionem sibi imminere narrans frigore percellitur, succedit æstus, ita tamen ut horripilatio quanquam non adeò frequens intercurrat. Supernè ac infernè magno cum impetu ac summis cum anxietatibus humores erumpabant. Tametsi verò stomachus & intestina mirè torquerentur, immanior tamen cruciatus, prænuncians instantes vomitus & sedes ab eo sentiebatur in regione lumbari dextrâ, ubi intestini duodeni situs, idque documento est, istud præcipuam hujus morbi esse sedem, ac malo invalescente inflammari. Ferè convicti sumus præsentes hujus tragœdiæ spectatores, vomitus in cholera à motu intestinali peristaltico inverso nequam pendere, cum ea, quæ nobis præsentibus in-

ma-

magnâ quantitate supernè dejiciebantur, nulla excrementorum indicia ac stercoris notas præ se ferrent, omniq[ue] fœtore carerent. Probabile est cholera ex duobus morbis componi, vomitu & fluxu alvi. Cum humorum verò copia, quæ utrâque viâ expurgatur per œsophagum, inquam & per intestina, sæpè tanta sit, ut incredibile videri queat, eam omnem in primis hisce viis hærere, suspicio nascitur ex massâ sanguineâ non minimam sentinæ hujus partem per arteriæ cæliacæ ramos ad ventriculum, per mesentericam, tum superiorem tum inferiorem ad intestina confluere, & per vomitus ac sedes ex corpore sursum deorsum exturbari. Huic ægro præscriptus illicò fuit Pulv. seq.

R. Crystall. mont. ppt.

Corall. rub. ppt. aa. 3jj.

Q depur. 3B.

Cinn. nat. gr. vjjj.

Camphor. gr. jj.

M. f. pulv. div. in 4. pt. æqv.

Pulverem hunc ad corrigendam materiam acridorem in ventriculo ac intestinis, ex cucumeribus corruptis & cerevisiâ fœculentâ & serum, si ita vis, acidum, aut aliâ acrimoniae specie imbutum, nec non ad bilem temperandam, si que eam cum veteribus tenuem in hoc morbo accusare placet, incrassandam, ac quasi coagulandam, & ad præcavendam inflammationem utilem esse multoties experti sumus: Crystallum montanam & Corall. fere sem-

per in hoc casu prætulimus alabastro, ebor. usto,
lap. 69. mat. perlar. &c. tametsi nec illa rejiciamus.
Potum tenuem non minus bilem, quam humores
acres cæteros diluentem commendavimus. Ve-
teres sollicitè aquas lactucæ & nymphææ extollunt,
Aretæus etiam aquæ frigidæ cyathos duos aut tres
non abhorret; nos posthabitò etiam i juscule ex
pullis gallinaceis Sydenhamii, decoctum hordei
elegimus, satis certi, hōc ipso & acrimoniam bili-
osam involvi, ejusque muciditate intestina adver-
sus acrium injuriam præmuniri. Non tamen per-
misimus, ut sumpto pulvere statim decoctum hoc
superinfunderet æger, ne venticulus irritatus illicò
medicinam excuteret. Sub noctem Theriacæ
Androm. 50. in aquâ cinamomi dissolutam acce-
pit. Externè. Vini camphoratus fuit adhibitus.
Cum per intervalla 18. horarum ter pulverem ac
semel theriacam sumpsisset, multùm de ferociâ suâ
remiserant ejectiones, itaque Essent. Theriacal.usui
pulveris denuò repetiti intercalavimus, ut &, vo-
mitum magis ac magis cessante, haustulum vini Ca-
nariensis. His paucis medicamentis malum fuit
debellatum. Uſus deinde per biduum est gelati-
nosis jusculis, ac ex voto convaluit. Anodyna in
largiori dosi more Sydenhamii non propinavimus,
etiam in aliis casibus, &, si remedia, quod multoties
factum est, ab ægris rejicerentur, ea denuò ac ite-
ra-

ratò iis obtulimus, sed ad dimidiæ ferè horæ spatiū à sumptis remediis potum illis interdiximus. Ex adstringentibus, scilicet pulv. compos. ex 7 sigill. Goldberg. bol. armen. croc. & t. adstring. gum. Arab. & raf. N. M. ac parum theriac. cœlest. in torment. bistort. cum syr. Myrtin. præcordiorum anxietates cum puncturis acutissimis in hypochondriis usque ad animi defectionem auctas fuisse, meminimus. Nec Cydonites, seu ut vulgo vocant, vinum Cydoniorum multò melius se gerit, si sub morbi initio exhibeatur, at morbo jam debellato ventriculum egregiè roborat, ob hanc profectò virtutem Cydonia à Sebizio *de alimentorum facultatibus* eximiè celebrantur. Cæterum Vratislaviæ quò fervidiores sunt tempore æstivo solis ardores, eò frequentiora Choleræ exempla cernere licet.

Fluxus Cælia-
cus.

Fluxus alvi cœliacus cum diarrhœâ hoc tempore erat morbus prædominanſ, quo infantes, pueri ac adulti paſſim imò & ſenes infestabantur. Fæces, quas reddebant, cremore ſeu chymo permiftæ erant, haud multùm albicabant, id quod indicium præbebat, bilem in duodeno cum chylo fuifſe permiftam. Hoc alvi profluviū tormina non comitabantur; nec æſtuabant, aut adeò fitiebant ægri, mirè tamen enervabantur ac contabescabant. Pulsus tantùm in paucis quibusdam celer & frequens exiſtebat,

tanquam febris affligeret. Ante dejectionem sedium abdomen distendebatur, ac venter inflabatur. Non meminimus, quod hoc tempore dejecturis leviusculæ lipothymiaæ seu animi defectiones obrepserint cum frontis sudore, quod alias factum esse novimus. Non uno alteroye die durabat hoc malum, sed post duas aut tres septimanas demum adhibitis idoneis remediis conquiescebat. At tamen non nimis erant frequentes sedes per diem, sexies, ad summum octies vel decies alvum exonerabant. Appetitus non prorsus erat prostratus, nec tamen per omnia salvus, sicut istius mulieris, de quâ Forestus lib. 22. Obs. 26. Ex residuo autem appetitu, ut & chylo cocto colligitur, ventriculum suo fungiofficio, nec ei culpam omnem imputari posse. Reattentè consideratâ patuit vitium hærere in crustâ intestinorum villosâ (quam velamentum bombycinum Hornius appellat:) per quam tanquam filtrum cribratur & transcolatur chylus. Vitium autem illud aliud esse non potest, quam quòd pori istius peristromatis humoribus lentis ac pituitosis sint obduicti. Dùm itaque blennâ viscidâ ac tenaci velamentum bombycinum est ineruatum, chylus non admittitur, sed cum fæcibus alvinis exturbatur. Præterea affectus hic noster abundantiam pituitosorum humorum in massâ sanguineâ præsupponere videtur, nam frequentia

sedium per tot dies durantium, satis innuit, causam
non soli pituitæ in intestinis stabulanti adscriben-
dam esse, tametsi alijs facile largiamur, largam in
intestinis reperiri humiditatem excrementitiam,
qua, ut veteres efferebant, *eorum tunicis imbibita la-*
xitatem efficiat. Persuasi igitur eramus, pituitam
aliosque noxios humores ex massa sanguinis per
arterias meseraicas in intestina effundi, ac deinde
cum chylo & fæcibus per sedes eliminari. Non
exclusimus etiam glandulas, quas Wepferus tuni-
cæ tendineæ, Bayerus verò & Bechlinus carneæ in-
tertexi notarunt, quamvis Wepferus potissimum
de glandulis ventriculi loquatur. Nec enim ne-
gari potest, ex ductibus illorum lympham subinde
viscidam in tubulum intestinalium illabi. Maxi-
mi usus erant in curando hoc affectu pulveres di-
gestivi ex ocul. ss . ♀ \oplus l. arcan. dupl. sale absynth.
ad mucum viscidum incidendum. In infantibus
ac pueris absque omnibus alijs satisfaciebat pulvis
laxans Ludovicianus ex pulvere jalapp. & ♀ dulci
eadosi, quâ grana hujus seriei annorum usq; ad
quintum respondebant, illius enim (scilicet jalap-
pæ) grana vjjj. infanti quatuor annorum tutò, si
iste non adeò debilis sit, exhiberi queunt. Subjun-
ximus ejusmodi laxanti in hoc casu medicamen-
tum sine pari Tinct. \oplus l. σ t. ♀ sat. D. Ludovici, ac fe-
rè nullis alijs indiguimus. In adultioribus, præ-
mis-

missis salibus aperientibus, rhabarbarum bis ferè præscripsimus, deinde in usum traximus ea, quæ emollitas per pituitosos humores fibras röborare possunt. Eminent præ reliquis ^{et} tialia cautè cum aromaticis mista v.g. limat. ^{et} cum trageâ quâdam gratiiori. Nec enim vidimus ullam causam, cur limatura hæc cum lumbricis terrestribus exsiccatis aliisque, prout quidem Ravellio placuit, miscenda esset, quamvis lumbricos in usum adversus pu erorum vermes duxisse videatur, falsâ utique innexus hypothesi. Egregiè etiam profunt Elix. menthæ, Ell. acori, absynth. comp. si recte fuerit parata, & rad. cichorei condita in delicatioribus. Adversus febrim non erat peculiaribus medicamentis opus, nam ut jam diximus, illa non erat notabilis, aberant etiam animi deliquia. Externa pauca adhibebantur, & illa ex adstringentibus minimè composita. Convaluerunt quantum scimus, omnes nostrâ hâc methodo curati. Ast etiam alias generis fluxus cœliacus datur, qui tantum non omnes in mortem præcipitat. Nimirum contingit, ut chylus etiam ritè percolatus per poros velamenti bombycini in glandulis mesenterii subsistat ac in casei formam coaguletur. Prædictæ glandulæ à copioso chyli fluxu intumescunt, quô ipso subsequenti transitus præcluditur. Non autem solùm in tumorem perexiguæ istæ glandulæ extolluntur,

sed

sed diuturniori morâ liquoris mucilaginosi emolliuntur & vim tonicam propellendi receptum chylorum liquamen amittunt. Hoc ubi contingit, quemadmodum in tenerâ ætate, dum frigidus potus noctu ingurgitatur, crebrò solet usu venire quovis anni tempore, chylus inspissatur, in cremeam aut in caseosam substantiam induratur. Fieri tum aliter nequit, quam ut cœliacus fluxus ob iter chyli impeditum excitetur cum ventris tormentibus & atrophiâ totius corporis ob denegatum humoris nutritii ad ductum thoracicum per pancreas mesenterii liberum commeatum. Exinde ægri ejusmodi atrophiâ consumti in sceleti formam rediguntur, & emaciati prorsus exspirant. Post mortem, ut notum est Prosectoribus, innumeræ glandulæ, quas vel lynceus oculus vix in sanis detegere potuisset, in conspectum veniunt turgidæ & duræ, quarum aliæ fabæ, aliæ nucis avellanæ, aliæ tandem nucis moscatæ magnitudinem æquant, in quô casu laudata anteà medicamenta eam, quam prædicavimus efficaciam in priori illâ cœliaci affectûs specie minime exerunt. Pauperes, qui fructus fugaces crudos ingurgitabant, passim in lienteriam incidebant.

Lienteria. Adeò hiscemensibus alvi profluvia quæcunque, excepto ita dicto hepatico fluxu, quem non vidimus, præ reliquis morbis erant communes.

nes. Lienteria hoc tempore maximè omnium dependere videbatur à lubricitate ventriculi, seu laxitate fibrarum ex pituitosorum humorum flaccescientium admitione. Maximè verò omnium atonia pylori accusari meretur. Iste enim ex diutiori morâ & commercio cum phlegmate enervatus, alirimenta non retinet, sed potius ante debitum concoctionis tempus eadē elabi sinit. Hoc verò quando contingit, cibus non valdè mutatus (aliquam certè mutationem commissio salivæ cum alimentis in masticatione parit) per alvum celeriter egeritur. Neque necessarium esse videtur ad producendum hunc lientericum fluxum, ut particulae pituitosæ ventriculo & intestinis adharentes valdè levem & glabram faciant eorum tunicam interiorem, ut credidit Craanen *Prax. Med. reform.* c. 75. sed transversarum fibrarum in ventriculo debilitas ab emollitione enata sufficit, quo minus assumpta in ventriculo serventur, donec in chymum fuerint dissoluta. Et fortassis Galenus non adeò malè taxavit veteres, quod lienteriae tale nomen indiderint Διπό τῆς τῶν λειότητος, cum vitium non intestinal sit, sed ventriculi; itaque non neceſſe est, lævitatem cum Doctissimō Virō D. Craanen non solum in ventriculo, sed & in intestinis comminisci. Cæterum palpabile videtur, quod ita constituto ventriculo, prout eum in Lienteriā com-

comparatum esse diximus, salivalis humor (menstruum vulgo vocant) iners ac ad dissolvendos cibos ineptus esse debeat. Festinavimus curam, quæ non magis ardua est, quam in cœliacâ, nec periculum præsentius, quam hæc minitatur. Omnipotens enim hic subscribimus Doctiss. Medico Ludovico Mercato in lib. *Consultat.* XII. p. m. 66, eos decipi, qui arbitrantur, longè minus esse periculum in cœliacâ, quam in lienteriâ. Nec nos movet speciosa, quam elegant, ratio, quod in hac omnimoda sit coctionis privatio, in illâ verò diminuta, privatio autem semper deterior sit diminutione, nam recte iis respondit vir prælaudatus, eos ignorare, privationem coctionis in lienteriâ adesse hanc præcipue de causâ, *quod alimenta non retineantur*, at in cœliacâ, ceterum, quam vulgo describunt, sed tamen à nostrâ illâ, quæ hoc anno, ut diximus, grassata est, in non paucis discrepat, graviora coctionis vitia deprehendi, nam alimenta, etiamsi detineantur, cruda tamen excerni & magis putrida, quod diutius detinentur. Non attigissemus hæc, nisi quosdam ex nostris in aliâ versari opinione nobis innotuisset. Medelam hujus temporis Lientericis rhabarbarum in justâ dosi bis exhibatum, & stomachica tonum ventriculi restituentia attulerunt. Inter stomachica illa præcipuum locum obtinuerunt ex mastich. absynthio mentha-

ac ligno aloës præparata, quæ & moris immaturis
siccisque, ac eo ipso acerbis ab Altimaro, & galli-
narum ventriculis à Foresto tantoperè commen-
datis prætulimus. Nec minus utilia deprehendi-
mus Zingiber & N. Mosch. condita. Egregiè etiam
profuit ipsa Theriaca in vino dissoluta. His exhi-
bitis non indiguimus alumine, cuius dextro usu ni-
hil esse præstantius in lienteriâ Frid. Hofmannus
arbitratur, præsertim si diæteticæ leges rite obser-
ventur. Decoctum radic. chinæ dilutum loco po-
tûs ordinarii haustum reliquorum remediorum
usum, mirum dictu, quam efficacem reddat. Co-
lophonein curæ imponere licet per prudentem
martialium usum.

Arthritiſ. Unus & alter puer ab insultibus arthri-
ticis hoc tempore non erat immunis. Succi lum-
bricorum efficacia alibi à nobis debitè fuit celebra-
ta in articulari morbo, sed prorsus mirandam esse
in arthritide puerili, aliquoties posthac deprehen-
sum fuit. D. Pezoldo occurrit puer nobilis 10 an-
norum, patre natus arthritide frequenter exercito.
Hunc ipsum arthritide vagâ miserè tortum post
frustra ferè propinata diapnoica, diluentia, præ-
cipitantia, cinnabarina & nitrosa feliciter ac brevi
restituit remedio à Clariſſ. Ludovici indicato, scili-
cet succo lumbricorum in calido infuso trifol. fi-
brin. beton. salviæ & sabinæ exhibito. Inde su-
do-

dores largos acidum olentes cum subitâ ac insperatâ euphoria fluxisse vidi. Et nos ferè etiam ex pulvere lumbricorum non multò minorem utilitatem percepisse arthriticos, in hâc tenerâ ætate, quibus succum lumbricorum in paulò amerioribus infusis nullâ arte obtruseris, multoties experti sumus. Quamvis nulli dubitemus, aliàs palmam succo præ pulvere offerre, si ægri non fuerint nauseabundi, & occasio utendi suppetit in aliis quoque morbis. Insignissimum effectum certè eidem D. P. notare licuit in Juvene ex Ducatu Wurtenbergico 22 annorum, qui ex variis duram militiam stipantibus laboribus, pessimâ diætâ, ac ultimò ex potu frigido post iram suppressam in gravia symptomata, atrophiam insignem, vertiginem, arthritidem, impotentiam artuum, tuberculâ glandulosa variarum corporis partium delapsus; iste verò præmissis universalibus, præcipitantibus, resolventibus &c. ex continuato usu succi lumbric. cum memorato brevi ante infuso eminens levamen sensit, & post aliquod interjectum tempus cum sanitate ex integro reconciliatus est, ita ut post duos menses succulentus & carnosus evaderet ac *ζωτικὸν ἀναγενέσθαι* recuperaret. Proficuus admodum huic eidemque juveni fuit non sine merito à Celeberr. D. Schlevogtio doctrinæ & experientiæ rarioris medico commendatus ex sabinâ & filice suffitus.

*Febres inter-
mittentes mali
moris.* In scenam etiam prodibant febres quædam intermittentes admodum similes iis, quæ anno proximè præterlapso à nobis fuerunt tractatae. Disputatum fuit, ut alibi innuimus, inter doctissimos medicos, an ex verè intermittentibus quædā malignæ sint, & videoas alios hoc affirmare, alios verò negare. Malignas ejus generis febres multis præclaris medicis videre licuit, Petro Salio Diverso, Sennerto, Paulo Neucranzio, Johanni Rhodio, Simoni Pauli, Henrico Melibomio, aliisque pluribus. Agnovit etiam eas Galenus, indicavit Mercatus Claudinus & Minadous. Ethoc anno nobis quoq; hīc intermittentes malignas aliquoties observare contigit, sed non adeò frequentes, quam anno nono hujus seculi tempore æstivo. Quid in imo annotatum est à Medicis in illis locis, ubi pestis in vicinâ nostrâ hodiè grassatur, ante luis' pestiferæ ingressum intermittentes mali moris fuisse grassatas. Illarum quas tractavimus & hoc anno 1702, & jam præterlapso, 1709, ferè typus hic fuit. Initio ægrimeridiano tempore levem sensere horrorem, quem calor illicò excepit non adeò magnus, sed cum summâ lassitudine & debilitate virium conjunctus & in sequentem diem usque ad quintam & sextam matutinam protractus. Pulsus summè langvidus erat. Altero die non tantum remissio, sed vera intermissione observabatur, nihilominus de ma-

maximâ virium prostratione conquerebantur, & artus sibi omnes quasi confractos esse ingemina-
bant. Tertio die ferè circa vespertinum tempus
fensum frigoris per dorsum, ut ajunt, decurrentis
percipiebant, & statim in magnum incidebant æ-
stum, qui per noctem usque ad octavam, imò no-
nam & decimam durabat. Et hoc die tertio verè
adhuc intermissionem aliquam observare licebat.
Sequentibus autem tribus aut quatuor diebus cre-
sciebat calor ac debilitas cum maximâ virium deje-
ctione & reliquis symptomatibus mox describen-
dis, ut facilius exacerbationem caloris statis tem-
poribus, quàm intermissionem veram notare pos-
ses. Sed quod notatu quàm dignissimum esse ar-
bitramur, his, quos diximus, transactis diebus juxta
nostram curandi methodum post septimum, mo-
dò citius, modò tardius rursus intermissiones appa-
rebant, & quotidiè quasi luculentiores, donec vel in
tertianas, vel quod tribus evenisse memini ultimo
hoc anno, in quartanas manifestè degenerarent.
Lingua toto morbi decursu mucō viscidō (albo
plerumque) erat obducta. Gravissimèurgebat
nausea. In quibusdam ventriculus ad vomitus
concitabatur, alios verò inanes vomendi conatus
maximoperè torquebant. In his cardialgia ma-
jor quam in illis, ac priores facile animo linque-
bantur, cum leviter commoverentur. Inappe-
-11-
ten-

tentia & nausea ciborum erat longè maxima, sed quod mireris, sitis minimè clamosa. Limpidam ferè desiderabant, reliqua potuum genera fastidiebant. Tribus aut quatuor prioribus diebus immanis capitis dolor iis infestus erat, qui utut sequenti tempore non cessare videretur, quia morbus de vehementiâ non remittebat, nihilominus veteres de ejus cruciatu querelæ parcus audiebantur. Vigiliae ferè perpetuæ & inexpugnabiles. Urina sub initium propemodum naturalis, crescente morbo saturatè rubra, eô autem adulto plerumque turbida erat. Alvus ferè adstrictior. Tantum in uno diarrhœa, quantum memini, animadversa. Purpuram, post incredibiles anxieties & jectigationes erupisse itidem recordamur. In quinquagenariæ viduæ, quæ in sterili matrimonio vixerat, corpore post summam pectoris oppressionem Essere effloruit. Superato etiam morbô tardè ægri pristinas recuperarunt vires. Hisce nostris febribus admodum noxia fuerunt emetica & purgantia drastica, quorum usus, ut fama fert, nonnullis fuit lethalis. Ad imitationem Neucranzii *de purpura curatione p. 413*, quando necessitas illud exigebat, ab initio leni sumus usi pharmaco, curiose vitatis fortioribus. Alexipharmacæ & bezoardica cum ḡtro mista, sacra ægrorum nostrorum anchora fuerunt, non tamen

neglecta humectantia & analeptica. Quoad intermissio aliqua observari potuit, sub declinacionem paroxysmi exhibita fuit Essentia ex scordio & radicibus alexipharmacis ægrisque inculcatum, sudorem sponte manaturum continentia corporis & quiete calidoque potu esse fovendum. Horâ unâ aut alterâ ante paroxysmum datus est pulvis ex bezoardicis & oþtro. Cum verò deinceps intermissio aut nulla esset, aut certè obscurissima, Essentiam quidem horâ 5 & 11 matutinâ dedimus, pulvis verò horâ quartâ & nonâ vespertinâ in usum fuit vocatus. Quibus sudores absque omni violentiâ horis matutinis placidè fluebant, iis nausea, vomitus, imò & deliquia multò citius cessarunt, quam aliis, qui jæctigationibus quamvis lecto sepulti jacerent sudoris fluxum impediverunt. Irregularis etiam erat febris cuiusdam præsidiarii militis, cuius curæ præfuit D. Pezold. Ejus paroxysmi modò tertianæ, modò quartanæ typum servare videbantur. Quartus accessus conjunctus erat cum ἐκλυσι & ἐΦιδρώσι, sed mox comparebant ubivis in toto corpore & artibus confertissima tuberculæ satis dura, albida & prurientia cum summo levamine. Quia verò post triduum Medico inconsulto in aëre libero achorri-diori commorabatur, denuò ob despumationem turbatam incidit in grandes præcordiorum anxieties & dispnœam, quibus liberabatur, cùm iterum

tubercula pruriginosa coloris rubicundi ac brunni erumperent. Post usum Mixturæ simpl. non camphoratae ista exanthemata evanuere, sed fœdus cutis color cum pruritu pedumque tumore œdematoſo per aliquot dies restabat. Cæteroquin ejus generis febres minimè rarae sunt, ut alibi innui-mus, & visi sunt interdum ferè omnes domestici laborare ejusmodi febribus scorbuticis. Ita Patri-familias ædes declives & stillicidio adeò madentes, ut fungi in hypocausto nascerentur, inhabitanti, ut & consaliniis ejus sub quolibet paroxysmo similia tubercula albida, prurientia & æstuosa effloresce-bant. Quondam doctissimus Reinesius in tertia-nis epidemiis mali moris, pertinacibus, & miris symptomatibus comitatis ejusmodi tubercula pru-riginosa, alba per totum corpus instar monticu-lorum subitò prorumpentia, subitoque disparen-tia conspexit Epist. 2. ad Nesteros. Febrium harum scorbuticarum cura requirit omnino antiscorbuti-ca, quibus ex voto debellantur. Id quod prælau-datus Reinesius expertus est, l. c. scribens : *Feliciter mihi cessit habitâ ratione febris ejusque causa antiscor-butica alterantia exhibere, quod, quia non attenderunt alii, ludere scilicet & latere scorbutum sub typis febri-um, etiam veteranos & exercitatos Medicos nihil se profecisse (& perteos & agros reliquisse) conqueri memi-ni. Quæ longè verissima esse quotidiane fere expe-rien-*

rientiae testimonio confirmamur. Hæsitavimus autem hactenus & ad hodiernum usque diem ambigimus, an fides adhibenda sit iis, quæ p. 4 idem Reinesius addit: *Universim autem verum est, scorbuticos etiam calidiora facillimè tolerare: nam & humor morbificus frigidus & viscus, quod plerumque hunc morbum fovet, ipsum frigidum est, & atonia flaccorue ventriculi, qui semper comitatur, calidis potius, quam frigidis corrigetur.* Si fidam rerum magistram consulueris, facile comperies, multos scorbuticos calidiora ægerrimè ferre quando febricitant, & succo citri aliisque subacidis maximè refocillari. Sed hæc obiter.

Mulier quadragenaria cholerico-scorbutica in febrim continuam periodicam lapsa est, ac demum feliciter, observante D. Preus, per cuticulæ universi corporis secessum judicata. Adeò non soli serpentes exuvias suas deponunt. Frequenter autem cuticula abscedit in morbo, quem vulgò vocant Rosalia, antehâc à nobis descripto, prout multoties vidimus.

Paulò rarer apud nos affectus, Alphus, *Alphus.* quo summa cutis colore punctis seu maculis albis, sed non continuis, nec invicem cohærentibus distinguitur. Vitilagine hâc cutis subaspera & inæqualis redditur. Maculosâ hâc corporis defœdatione non tantum quendam Medicum alibi jam

viventem, sed nonnullos etiam alios de honestatos
conspeximus. Ab istâ morpheâ nec membrum
virile fuit immune. Sed bene est, quod superficie-
tenus duntaxat cutim quasi guttis quibusdam su-
peraspergat, nec musculos corripiat, quod in Leu-
ce fit. Nulla verò cæteroquin molestia premit
hominem. Vegetus sanè erat Medicus, vegeti &
pauci illi alii à nobis conspecti. Ab his maculis non
nisi colore distinctæ videntur illæ obscurè rubescen-
tes, quæ multò frequentiores & paulo, quantum
ad spatium, diffusiores, his religiosus quidam col-
lum & brachia notatus, à D. Klaunig consilium o-
pemque petiit. Vitium in humoribus latens cor-
rigendum esse facile patet, ne si altiores radices
agat, in deterius vergat, & gravem aliquem affe-
ctum inducat. Lepram quod minentur maculæ
albæ, quorundam sententia est. Ex votô cessit
Doctori prælaudato cura per trag. aromat. ʒjj &
limat. ɔt. subtiliss. ʒjj. Illâ manè ad 3 cuspides cul-
tri sumptâ, Religioso ad sudorem usque corpus
commovendum fuit. Post prandium ol. ♀ per deliq.
Monachus iste non solum usus est, sed & ma-
culas sudore adhuc madidas eo ipso perfudit, hoc
eventu, ut brevi pristinus cuti, abstersis his maculis,
redderetur nitor. Quæ cura etiam in aliis, omis-
so externo & interno ol. ♀ per deliq. aliorumque
evporistorum usu per solam ɔtis limaturam cum
pulv.

pulv. cinamom. & sacchari s. q. in rotulas redactam fausta ac secunda fuit.

Non tantum infantibus propter tor-
mina clamoris, sed & aliis nec non adultis
familiare erat vitium Procidentia ani sive propter
diarrhoeam epidemium hujus temporis morbum;
sive quod acria quædam, ac in nonnullis etiam
ascarides in intestino hærerent, ac vellicando, sti-
mulando, morsicando, illud protruderent; sive
quod muscularum tonus nimia humiditate esset
quodammodo relaxatus. Notum enim satis est,
quod, quando, aut robur musculi sphincteris, aut
levatorum humiditate & mollitie remissum est ac
elanguit, podex hiet, & non ritè constringatur,
vel anus aliquantis per protrusus (quod in omni ex-
cretione contingit) non sursum retrahatur. Ex
ultimâ hâc causâ multis fuisse his diebus prolapsum
intestinum non licet dubitare. Tametsi autem
prolixis quæstionibus in affectu in oculos incur-
renti minimè opus sit, ut tamen in nostrâ sententiâ
magis confirmaremur, non negleximus indagare,
an magnus egerendi conatus ob fœces exsiccatas
& induratas adesset, an calculo vesicæ premeren-
tur, num aliqua paralysios vestigia obvia forent?
Nihil autem horum in ægris nostris tūm deprehen-
dere potuimus. Non tantum tollendæ hujus
prolapsûs causæ incubuimus, sed ante omnia eò

laboravimus, ut quam primum anus in suum reponeretur locum. In adultis negotium repositionis non adeò difficile fuit, antequam intestinum inflammaretur ac intumesceret; nam facile vel ab ægro ipso, vel à Chirurgo linteô calidô blandè retrudebatur. Præsenti autem inflammatione usi sumus aut fotu, aut sacculis ex flor. sambuc. meliloti, chamomill. Verbas. hyperic. summit. anethi ac sem. cumini in vino coctis optimo semper cum successu: sublatò repositionis impedimento levi manus operâ prolapsum intestinum in pristinum redit locum, sed ut diximus, illud ita facile expeditur in adultis. In Infantibus paulò aliter se res habet: dum continuò suò ploratu ac ejulatu intestinum protrudunt, frustra in repositione laboratur, nisi punctum illud temporis accurate observaveris, quo intestinum motu suo vermiculari artis & manus subsidium adjuvat. Difficilius opus est, anum in locum debite repositum ita firmare, ne denuò procidat. Variis modis, quos omnes hīc commemorare non attinet, hoc assequi tentarunt hactenus Medici. Inter remedia externa maxime extollit D. Klaunig unguentum Foresti, quod in foemina 30 annorum, quæ per multos annos hoc incommodi perpesta fuerat, ut etiam illo tempore, quo alvum non deponebat, intestinum prolaberetur, mira, aliis omnibus irritis, præstítit. Unguentum verò illud sequens est:

¶ Gal-

R Gallat. immatur.

Nuc. cupress.

bacc. myrt.

balaustre.

Mali corii.

Cort. glandium.

Acaciæ.

Thur.

Mastich aa. 3jj.

Omnia exquisitissimè trita macerantur dies circiter quatuor in succis mespilorum & sorborum immaturorum, deinde siccantur igne & cum ol. rosat. saepius in aquâ aluminosa loti 3jj. ac ceræ albæ 3j. f. Unguentum. Nos, ut nihil dissimulemus, ungventis omnibus ferè semper prætulimus vinum, in quo summitates absynth. cortex granat. acaciæ & alia simplicia à Foresto in ungventi formam redacta fuerunt cocta, eò, quod non tantum fibras intestini constringat, sed una eademque opera musculis elevatoribus robur addat. Nec rejicienda censemus illa topica, quæ lumbis & præcipue ossi sacro imponuntur. A Claude suâ defraudandum non est celeberr. Ettmulleri Emplastrum ex Gumm. sagapeno, opposonace aa. q. f. liquefacto præparatum & calidè ossi sacro impositum; quod amplius delucescet & ab unoquoque facilis concedetur, si in memoriam nobis revocaverimus, quod levatores ab ossium coxendicis facrique ligamentis orientantur & sphincterim musculo, ad quem distincti descendunt, insertiones suas commisceant. Tor-

Calculus in ure- Torscerat dolor fixus in ilio, nisi fallimur,
tere hærens. dextro Virum quadragenarium per ali-
quot dies cum morsūs & ponderis in regione um-
bilici, tractionis verò ac tensionis sensu in testiculis,
collo vesicæ ac pene. Per intervalla, dolore incre-
bescente vomuerat. Petitur consilium. Medici
in diversa abeunt. Colicum dolorem hic esse cau-
satur, alter à solâ obstructione alvi, (nam jām alli-
quō tempore illa fuerat segnior) & flatibus in abdo-
mine oberrantibus originem mali accersit. Nos,
qui illud doloris genus in aliis aliquoties jam tra-
etaveramus, à calculo in uretere hærenti natales
omnis molestiæ deducebamus. Injecta fuere ene-
mata varia, Balneum ex sapone veneto Uratislaviæ
usitatissimum æger ingressus, sumpsit oleum amygdal.
dulcium; Decoctum emolliens, juscula cum
rad. alth. parata, emulsiones ex semine violarum,
milii olis, aquis appropriatis, pulv. Volkammer. ac
alia. Cataplasmata ex emollientibus externè do-
lentibus partibus applicata &c. At his omnibus
studiosissimè per 8. dies exhibitis nihil profecimus.
Postea valere jussis remediis post biduum derepen-
te ab omni dolore noster liberatus fuit. Dum
adhuc anceps hæreret, à quo morbo fuisset affli-
ctus, & nostram de calculi præsentia opinionem
datâ occasione false irrideret, post aliquot iterum
dies subito ad urinam reddendam stimulatus duos

calculos pisi magnitudinem superantes cum aliquo dolore exclusit, desitque nobis insultare. Cum iisdem phænomenis, sed majori cum impetu, elapsis post abortum aliquot diebus, idem dolor ilium sinistrum in illustri fœmina occupavit, sed non eodem cum eventu. Nam antecedentibus partus laboribus exhausta, dum intensissime ac pertinacissime calculorum exclusionem, quæ antehac bis vel ter cum atrocibus symptomatibus, frigore, cui simile nunquam in hoc morbo vidimus, & æstu summo ac jectigationibus anxiis, vomitu horrendo &c. ei contigerat, natura molitur, exquisitissimis doloribus terendis non suffecit, sed in convulsiones iterato incidit ac vitam cum morte commutavit.

Sæpius de *ἀπροξίᾳ* Genitalium Viri illibata fruentes valetudine ac satis robusti & torosi querelas ad nos detulerunt, hisque mensibus desiderio prolis fervens uxor nonneminis marito tergiversanti aut verecundanti consilium & opem petit. Causam hujus *ἀδυναμίας* tum in hoc casu, tum in aliis similibus quæsivimus antehac semper vel in pene patratore, vel in inopiâ, aut inertia liquoris genitalis, & hanc quidem per alimenta commoda sublevare & corrigere, membro autem naturale robur ac tonum per tonica, nonnunquam etiam externa irritantia acriora restituere conatus. Et certe utrumque hoc sæpiusculè non

T

sine

*Impotentia in
quibusdam Si-
ris robustis.*

sine successu tentavimus & perfecimus, cum revere-
ra vitium aliquod vel in verpo hæreret, isque
spasmo aut alio morbo correptus esset, vel seminis
penuriâ laboraret. At verò in his nostris seminis
defectus prætexi non posse videtur, in tanta scilicet
abundantiâ seri laudabilis ac sanguinis spirituosi,
quæ in hominibus ejusmodi athleticâ corporis sa-
nitate fruentibus, & lautè & opiparè viventibus in
oculos incurrit. Nec vitium reperitur evidens in ner-
vo, imò quod magis est, ne in juventute quidem il-
lum libidine ineptum reddiderunt, nunquam partes
illas doluerunt, multò minus Gonorrhœa labora-
runt, & in rei hujus fidem ipsum DEum testem in-
vocaverunt; & tamen lorum in aquâ, quando
munus mariti obeundum. Res illa multoties nos
habuit sollicitos. Curiosè itaque investigavimus,
an esset quippiam in Conjugibus, quod aversaren-
tur eosque à coitu alienos redderet. Nam notum
est, ex confessione quotidianâ quorundam mari-
torum, quam ingrata iis sit cohabitatio cum uxori-
bus, quæ mundicie non student, quarumque ani-
ma olet. At in uxoribus Virorum, quos nostris,
dum hæc scribimus, oculis obversantes habemus,
profectò satis formosis, nihil est, quod fastidii quip-
piam parere possit. Placuit etiam indagare, an ri-
xosæ essent, an aliquid contingere eorum in thoro,
quæ Alex. Benedictus lib. 24. Pract. s. c. 26. his ver-
bis

bis subindicat: *Scimus quosdam, cum in venere con-
jugali essent promptiores, facta inter eos de re tristi-
mentatione, ita ab opere imperfecto sollicitos desurgere,
ut velut intermortuum langveret membrum genita-
le.* *Quosdam in coitus ordidum auditum verbum de
venereo diverticulo deturbat, alios verecundia te-
net, non nullos metus ipse.* Excussimus etiam ad mini-
mum usque pulvisculum reliquas circumstantias,
sed nihil quicquam colligere ex omnibus illis potui-
mus, quod faceret ad validorum ac sanorum viro-
rum in ætate virili constitutorum segnitiem nisi ma-
vis impotentiam in opere maritali illustrandam.
Itaque admiratione profectò dignum est, & aliqui-
bus vix verosimile videbitur, reperiri tales viros, qui
præsentis semine à quo totum corpus & partes geni-
tales primos ad erectionem stimulos persentiunt,
qui præsenti fluido illo nerveo cujuscunque de-
mum indolis sit, qui liberè affluent ad penem san-
gvine arterioso, illæsis membra musculis & rectè
constitutis omnibus inepti sint ad formosarum
blandientium ac oculos irritantium uxorum desi-
deriis satisfaciendum! Si dixeris naturam in hujus-
modi corporibus nimium esse intentam nutritionis
œconomiae, functionibus autem individui propa-
gationi inservientibus minorem impendere curam
easque quasi negligere; redargueris inde, quod ge-
nitali latice, teste experientiâ, non hi viri destituan-

tur, hinc verò necessariò fluit, quod alimenta evchy-
ma & ad multiplicandum semen aptissima, non
omnia in nutrimentum convertantur, sed omnino
etiam ex substantiâ sangvineâ purior & selecta ejus
pars glutinosa ac spirituosa separetur & à vasorum
seminalium poris excipiatur, ac exaltetur. Consi-
deravimus etiam ea, quæ de amplitudine & angu-
stiâ arteriarum spermaticarum vulgò docentur,
quorum summa hæc est, quod nimirum illi, quibus
arteriæ spermaticæ ampliores, aut plures quam or-
dinariò fit, obtigerunt (nam notum est, quod triplo
majores aliquando in mortuis repertæ sint, & qua-
tuor ejusmodi arterias in virgine observârit Kerk-
ring *spicileg. Anat. obs. 32.*) ad venerea sint aptiores,
ineptiores verò, qui hæc vasa angusta habent, ex
quibus inferri non nullis posse videtur, in angustiâ
horum vasorum, aut certè in arctiori textura poro-
rum & meatuum testiculi latere causam hujus im-
potentiae. At verò jam ante diximus, nostros, de
quibus nobis sermo est, non laborare seminis penu-
riâ, adeoque necessarium est, ut materia seminis
per hæc vasa insufficienti copiâ adducatur, ac etiam
in poris memoratis separetur, quamvis cæteroquin
non inficiemur, amplitudinem ac pluralitatem ar-
teriarum spermaticarum salacitatem augere posse.
Ferè coincidit cum dictis, quod nuper à non nemini
nobis responsum fuit, in illis viris præ mole cor-
po-

poris & pinguedine vasa omnia fieri angustiora, ac semen suppressi, prout in succulentis nutricibus lac, observante jam tum Hippocrate, suppressi solet; enim verò refragatur quotidiana experientia, nos abundè convincens, quod alii obesi strenuè apud uxores suas mereri possint, ac in ejaculatione seminis cum aliis paria faciant. Heinricus VIII. Angliae Rex multi succi abdomine adeò gravis ac segnis evaserat sanguine in pinguedinem verso, ut vix per ostia ingredi, ac neque scalas posset descendere, sed in cathedrâ positus machinis in superiora aedium subvehetur, ut scribit Thuanus lib. 3. Historiar. ad ann. 1547, p. m. 84 & 85. Verùm omnes historici contemporanei uno ore patentur, quod in voluptates solitior fuerit, sexies nuptias celebrârit, prolem suscepit &c. Liberè itaque profitemur, nos ignorare quidnam illud sit, quod principium corporis movens in istiusmodi viris avertat, quò minus semen jam à sanguine separatum ad generationis opus debitè applicetur. Uxores ad fascinationem recurrent, in quo consangvineas suas facile habent consentientes. Nos utut cum Borello pro imaginario malo ligaturas illas minimè habeamus, non tamen ad illas recurrimus, quando nullum beneficii ejusmodi vestigium cernitur, ut hic fit, quoniam nec musculi, nec quicquam, quod ad erectionem virgæ requiritur, ullò modo debilitatum, aut immuta-

tum in nostris deprehenditur. Viguit, vigetque adhuc hodiè tum alibi, tum apud nos opinio, quod sectio venarum post aures, applicatio hirudinum frequens in odontalgiis abhinc aliquot annis Vratislavæ remedium faciat, steriles & ad venerem ignavos, traditione ab Hippocrate ad nostra usque temporahac de refideliter propagata. Nicolaus Henelius, qui superiori seculo inter eruditos Silesiæ primum facile obtinuit locum, in docto variarum observationum opere, quod otium Vratislaviense inscribit c. 17 p. 133. laudat specialem illam rationem, quæ à non nemine reddita est, cur furibus ac aliis auricula altera vel utraque præsecetur, ratio verò ista hæc est, quod auribus vena quedam promineat, qua γόνυμον contineat sperma, cuius vena abscissione procreationis vis seu semen prolificum submoveatur, ne ejusmodi pessimorum hominum posteritas ulla relinquatur, quod fieret, si liberos generarent. Hanc rationem confirmare nititur, ita scribens: idque non de nihilo esse, exinde appareat, quod Medicorum, etiam filii Hippocrat. autoritate confirmant, venis post aurem sectis homines fieri infæcundos, ad venerem ignavos, & impotentes: ideo nimirum, quod vel hujusmodi venarum sectio principem illam partem, ac seminis primum opificem promptissime & insigniter refrigeret, vel quod plurima genitura pars à capite juxta aures in spinalē medullam procedat, citatrice

autem per sectionem iunctâ meatus iste sive transitus durescat claudaturque: quæ ex Zachiâ & Langio mutuatus est. Huc doctissimorum Virorum asserto multiplicem & ferè quotidianam nostram experientiam opponere possumus, quæ & milites aure privatos, ac fures sceleratosque alios eō supplicii genere ac hâc deformitate corporis sceleris atrocitatem denunciantes, nec non eos, quibus à balneatore quodam vena post aures aperta, aut ab hirudinibus admorsa fuit, minimè propterea fuisse factos infœundos, docet. Ut nihil jam dicimus de pervulgato illo in atrophiâ remedio, quod plebs nostra vocat den Röthe-Kuchen schneiden: Unde tamen nulli familiæ adhuc invisa fuit inducta sterilitas. Juveni Coptho apud Prosper. Alpin. lib. 2 de Medicin. Agyptior. c. 10 maxima sanguinis copia per eas venas fuit detracta, unde insomnum per tres dies delapsus est, sed ab eō exergefactus ac convalescens, uxoreductâ, liberos procreavit.

Inter magnates ac plebejos quidam ex abusu lactucæ, cucumerum, melonum, fructuum horraeorum &c. incautâ refrigeratione opprimebantur dolore orificiorum ventriculi. Sedes atrocissimi cruciatûs erat vel in fine pectoris, ubi sternoadhæret mucronata cartilago, vel in spina dorsi circa undecimam vel duodecimam thoracis vertebra.

bram. Jam notum est, quod dextrum orificium, seu pylorus medio hypochondriorum spatio assurgens sub mucronatâ cartilagine situm suum adipiscatur eâ ipsâ in parte, ubi vulgò dicimus esse scrobbiculum cordis, sinistrum verò in eâ quam designavimus thoracis regione, diaphragma penetrat ac spinæ adsitum sit ! Descriebant verò hunc suum dolorem tanquam tensivum & compressivum, nonnulli quasi cingulô sese constringi ajebant, quibus paraphrasibus sine omni dubio spasmodicum orificiorum motum exprimere satagunt. Nam spasmorum in œsophago & ventriculo præsentiam satis arguebant & impedita inter dolorum fäces, deglutitio, & tanta constrictio, ut post pauca quædam assumpta ventriculus nihil admitteret, quæque ingesta fuerant, cum ineffabili anxietate, angustiâ ac pressionis sensu ferret. Ructus dolorem leniebant. Idem malum a bile ortum, prout jam Hippocrates Cardiogmum ejusmodi descriptis, sæpius alio tempore tractavimus. Post injecta enemata & sacculos, antispasmodica cum stomachicis sociata egregiè profuerunt. Propter insignem efficaciam laudare possumus Tinct. rubram, quæ autorem habet notum Medicis nomen C. Bontekoe. Constat illa ex Θymi & fl. ♀ pulveris. & deton. in crucibulo, huic θi affunduntur ∇ menth. vel aliæ pro lubitu, post solutionem & filtrationem
ad-

adduntur nonnulla aromata atque semina carminativa. Superatis aut mitigatis doloribus exhibuimus, quæ materiam morbificam lentore suo orificiis ventriculi adhærentem inciderent ac attenuarent, ut evacuatio cum euphoriam tantò facilius suscipi posset. His factis ventriculum roboravimus, inter roborantia autem præcipuò loco commendavimus Tinct. O. l. & t. & f. D. Ludovic. ritè paratam, eamque in aqua Cinamom. propinavimus. Nec utilitate caruerunt stomachica amara e. g. Ess. absynth. c. D. Wed. Ess. anticacheet. Pont. &c. Vinum, cui chamomilla fuit infusa, cum insigni frumentu quidam hauserunt. Non paucos reperias, qui commissò quôdam errore in cibis ante commemoratis aut aliis viscidis ac duræ digestionis, nec non cerevisiâ fœculentâ in immanes hosce cruciatus relabuntur; quod ne fieret, auctores eis fuimus, ut ad avertendum malum subitò post ejusmodi erratum gr. X. piperis deglutirent. Nec sinapi laude suâ defraudandum est, rectè hoc etiam nomine à Paracelso commendatum; ac negari nequit, quin & egregiè fermentationem promoteat viscidumque resolvat. In his simplicibus non pauci, qui nostris consiliis obtemperaverunt, majorem esse efficaciam deprehenderunt, quam in Essentiis carminativis, vulgo cognitis, in Ess. castorei, aut misturâ, quæ per aliquot annos strepitum excitavit, ex Elix.

Propr. P. s. acid. Eff. jamjam nominatâ castor. & Δ
 XCII anif. quam sœvitiam Cardialgiæ experti quo-
 tidiè bis integro ferè lustro usurparunt.

urine suppressio. Paulò infrequentior est affectus, Urinæ suppressio; non defuerunt tamen exempla, ac hōc ipso anno alicui illustri matronæ eadem lethaliis fuit. Quotiescunq; verò ad ægrum suppressione urinæ laborantem vocati fuimus, prima semper fuit cura, indagare, an urina verè à sangvine & sero separata sit, & ubi nobis éâ de re ex certis signis constitit, sedulò inquisivimus, an in renibus, an in ureteribus, aut tandem in vesicâ vel urethrâ causa suppressionis lateret? Aliquantò rarius contingit, ut partes heterogeneæ in sangvine ac sero ita implicitæ & permistæ sint, quò minus urina inde per poros & canaliculos renum, pelvis cavitatem spectantes, secerni queat, quâ de re Willius in *pharmac. ration.* consulendus, aut serum solitò copiosius per alia corporis loca effluat. Illud autem cerebrius usu venit, ut pori, per quos urina transcolari debet in renibus, reddantur angustiores modò *ab obstru-*
entibus, sangvine scilicet coagulato, pure, pituitâ, calculis, modò *à comprimentibus*, inflammatione, tumoribus scirrhosis ac aliis &c. modò autem *à con-*
stringentibus in refrigeratione regionis lumbaris &c. In his casibus propemodum unicè ægri conque-
 runtur de dolore fixo & gravativo circa renes, spi-
 nam-

namque dorfi summâ cum difficultate flectunt, urget etiam interdum vomitus. Acutissimi verò & pungentes dolores premunt cum vomitu & stupore cruris, quando vitium ac præsertim calculus in ureteribus deprehenditur. Non minoribus molestiis miseri exagitantur, quando suppressio urinæ nascitur ex tumore circa ureterum in vesicam ingressum. Convulsis verò & spasmodicè constriktis ureterum fibris musculosis propulsioni urinæ sine dubio inservientibus, urinæ suppressio ubique sequitur, sed non tot stipata symptomatibus. Vesicæ tunicâ exteriori seu musculosâ paralysi affectâ fibræ sese contrahere, expulsionemque urinæ moliri nequeunt, & tūm vesica sine dolore ullō tumet. Paralysis videtur esse, cur in morituris quibusdam, aliis longius, aliis autem brevius ante mortem urinæ fluxus inhibeatur. Tycho de Brahe, quem Rudolphus Imperator maximis præmiis ex Daniâ in Bohemiam invitârat, & copiosè lauteque habuerat, teste Balbino lib. 7 sect. 6 c. 3. *Miscell. histor. p. 255.* Urinæ suppressione è retentione illius in convivio Rosenbergiano verecunda ac justo diuturniori orta, febrique & delirio comitata die 24 Oct. A. 1601 etatis 55 cum bonorum omnium luctu obiit: ut scribit Clariss. Vir Johannes Mollerus in *hypomnemat. ad Alb. Bartholini librum de scriptis Danorum*, p. 453 seq. Credibile est, per detentionem urinæ

longiorem non saltem vesicam ita distendi, ut amplius ea contrahi nequeat, sed & figuram ejus in rotundam mutari, ac majorem versus orificium constrictione oriri, quod genus suppressionis urinæ periculô non caret, ut rectè judicat Hildanus *de lithotom. vesic. c. 3.* & Panarolus Pentecost. *I. obs. 25.* Manifestiore est Ischuriæ causa, quando vesicæ cervix aut urethra huic continua calculo in adultis, in recens verò natis concretâ pituitâ obstruitur, quo pacto iterum urinæ fluxus intercipitur. Cicatrices urethræ à gonorrhœâ virulentâ erosæ ac exulceratae (quas vulgus Chirurgorum pro carunculis habet) urinæ fluxum remorantur. Malum hoc apud nos est, proh dolor! vulgatissimum. Per DEI gratiam verò Ischuriæ à venenis nobis prorsus sunt in cognitæ. Nec nisi nobis, qui culpâ vermium in urinæ detentionem inciderint. Quantamcunque verò adhibuerimus diligentiam, nondum tamen nobis innotuit, utrum musculi abdominis, quorum efficaciam in promovendis excrementis infimi ventris minime in dubium vocamus, quomodo cunque læsi suppressionis urinæ auctores esse possint, cæteroquin non ignari, quod ex tumoribus eorundem urinæ suppressionem consequi posse suspicatus sit Hildanus. In curâ nos ita gessimus. Postquam immisso cereô aut cathetere constitit, in urethrâ aut orificio vesicæ impedimentum esse, quò

quò minus urina effluere posset, ejus remotioni studuimus. In cicatricibus, aut vulgò ita dictis ex-crescentiis prorsùs catheterum usus est eximius. Novimus, qui in summis angustiis constituti, immisso cathetere, illicò à metu convulsionum & mortis liberati fuerunt, apertâ scilicet urinæ viâ instrumenti hujus beneficio. Remotio verò cicatricum istarum aliam ac operosiorem requirit curam. In tenellulis, quibus pituitæ culpâ in vesicæ orificio aut urethrâ lotium detinetur, vel sola optimè sese gerunt cataplasmata ex radice alth. fol. malv. fl. chamom. sem. lini, fœnugr. bacc. laur. &c. composita, ut & sacculi in adultioribus, quorum unus pectini, alter perinæo imponitur. Sæpè voto respondit parietaria oleo frixa, calideque apposita, vel cum cepis in formam cataplasmatis redacta. Sulphur lycopodii cum ocul. & percar. ac cinnab. nat egre giè, quomodo cunque tandem illud fiat, conductit. Profundit etiam sacculi in suppressione urinæ à diuturniori ejus retentione, sed manūs calidæ ministerium accedat necesse ad lenissimè comprimentam vesicam. Summa Balneorum utilitas hoc in casu est. In Ischuriâ à calculo majori in vesicâ hærente, exiguis est, quem medicamenta resolventia præstant, effectus. Chirurgico auxilio opus; & reverà non pauci ante biennium calculo vesicæ per cystotomiam ab operatore pe-

regrino celebratam liberati fuerunt. Modus operandi ejus per omnia, ut obiter hoc addamus, convenit cum illo, quem famosus frater Jacobus sub finem præterlapsi seculi in Gallia exercuit, nimirum, teste Dionis p. 169. (verba ejus adscribimus, quod modum circumcellionis istius describere sit nostri operatoris rationem ac methodum adumbrare) *Il introduit dans la verge une sonde graissée, qui n'est point canelée, dont le bout luy sert à pousser de la main gauche en dehors l'endroit de la vessie où il doit faire son ouverture; puis prenant de sa main droite un bistouri long fait en forme de poignard, il le plonge proche la pointe de la fesse gauche deux doigts loin du périnée, & le poussant droit vers la region de la vessie, il l'ouvre dans son corps le plus près de son col qu'il le peut: il ne retire point le bistouri, qu'il ne l'ait ouverte autant que le demande la grosseur de la pierre. Il se sert d'un conducteur pour conduire la tenette, qui est à peu près semblable aux nôtres; & souvent avant que d'introduire cet instrument, il examine avec son doigt fourré dans la plage l'endroit, où peut être la pierre. Quand elle est chargée, il la tire promptement & rudement, ne reflechissant nullement sur les mauvaises suites que peuvent avoir les violences qu'il fait pour l'extraire. &c. Confer celeberr. Mery Observations sur la manière de tailler dans les deux sexes pour l' extraction de la pierre, pratiquée par*

Fre-

Frere Jacques. Dolendum verò est, quod non semper idonei ad sint lithotomi, inò apud nostanta eorum raritas, quanta fuit sub initium seculi 16 Lutetiae Paris. ubi ne unus quidem inveniebatur, qui hanc operationem aggredi ausus esset, quæ res Facultati Medicæ ansam dedit, ut ad Senatum supremum (Parlamentum vocant) recurrerent, & ab illo hominem calculo vesicæ laborantem ac propter crimina morti adjudicatum in id expeterent, ut in eo cystotomia tentari posset. Indulgentem Facultas habuit senatū, miserq; ille fortunam propitiam, nam & à morte & calculo feliciter est liberatus ex relatione Mery *lib. citat. p. 3.* Si nostri illi, qui promore ante tot secula recepto, munus externas administrandi operationes sibi solis vendicant, Hippocratem evolvissent, crederemus religione juramenti illos prohiberi, quò minus manus suas huic nostro operi admoveant, nam si os Hippocrates voluit dicere sacramentum, quod lythotomiam manibus suis celebrare nollent. Non approbavit sese nobis per omnia modus operandi hujus Empyrici; nihilominus fatendum est, quod non pauci ab intolerabili cruciatu fuerint ita sublevati, ut per biennium integrum negotiis suis vacare potuerint, sicut quondam doctissimus Hippocratici interpres Johannes Martin, Medicus Parisiensis ferri beneficio à tortore calculo liberatus, pristinum ægros;

ægros visendi vitæ institutum repetiit, quemadmodum in *elogio Martini* narrat Petrus Seguyn. Memori autem in pectore semper habuimus egregium monitum Celsi lib. 7 de Medic. c. 26 p. m. 475 de hâc vesicæ incisione agentis: *Ad hanc curationem festinare, inquit, cum præceps sit, nullò modo convenit.* Ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiendum est: sed solo vere, in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim excessit, & si tantum mali subest, ut neque medicamentis vinci possit, neque etiam trahi posse videatur, quo minus interposito aliquo spatiò interimat &c. & rursus: *Ubi ultima experiri statutum est, ante aliquot diebus victu corpus præparandum est, ut modicos, ut salubres cibos, ut minimè glutinosos assumat.* Ambulandi verò inter hâc exercitatione utatur, quò magis calculus ad vesicæ cervicem descendat, &c. Hæc omnia, si ea quæ de ætate habet, exceperis, ut & utilissima præcepta Hildani in egregio libro *de Lythotom.* observavimus. In paralyssi vesicæ, præsertim si illa comitata sit resolutione inferiorum corporis partium, quicquid etiam suscepseris, frustra te laborasse comperies. Cùm calculus in ureteribus hærens Ischuriæ causa fuit, initio quidem membranaceas partes spasmodicè constrictas, exhibito oleo amygd. dul. aliisque relaxare ac emollire conati sumus, ac sopito dolore deinde subjunxi-
mus

mus ea, quæ calculum modestè pellunt, id quod etiam factum, ubi concretum fabulosum adhuc renibus impactum est. A calidis pellantibus ol. suc-
cin. juniper. balsamo ♀is terebinthinato, ∼ tere-
binth. abstinuimus. Nec impetrare à nobis potu-
imus, ut Tinct. cantharidum, quæ ab empyricis
quibusdam clanculum his, illis obtrudi, tanquam
divinum aliquod remedium ab aliquo tempore
cœpit, præscriberemus. Non major apud nos
honos est Tincturæ calcis vivæ aliisque causticis
pellentibus. Cum circumspetâ solicitudine ∼
minerales acidos ægris dedimus, usu edocti, quod
exulceratis renibus noxiis sint; quinimò etiam in
periculo ejusmodi corruptionis renum ne quidem
pulveres salinos ex arcan. dupl. ⊖ depur. ∇ fol. ♀ri
&c. quibus aliàs frequenter utimur, offerre ausi su-
mus. Spiritus acidos, si quando adhibuimus, in
refracta dosi id fecimus. Erathocce tempore no-
bis in usu ferè ejusmodi formula:

℞ ∇ heder. ∇ st.

asparag.

fragor.

petrosel. aa. Ʒjjj.

Dœring.c. calcul. Ʒjß

syr.de alth. Fern. Ʒx.

∼ fragor. Ʒjß

⊖ dul. Ʒß M. f. Pot.

ut & puiyis sequens :

R. sem. alth.

violar.

lithosper.

rad. glycyrrh.

lap. judaic.

spong. recent. quæ rosis adnascitur.

oss. daetylor.

mespil. aa. q. v.

Quem in pellendo calculo & urina non inefficacem aliquoties experti sumus. Verum de his agere non est hujus loci. Illud in Ephemeridibus meis annotatum invenio, quod artifici cuidam pulvis ex fol. genistæ 3j. nucleor. ceras. persic. aa. Nō. vj. in vino austriaco exhibitus in Ischuriâ à calculo sæpere recurrente unicè profuerit. Egenos jussimus tunicar. ex cœpis M. in cerevisiâ tenui coquere & succin. albi pulverisati 3j. addere ac calidè bibere, quod multoties cum præsentaneo ab eis factum est effectu. Merminimus laudibus in cœlum usque elatum fuisse hisce diebus pulverem Cardillucci contra calculum & Ischuriam. Ita verò sequens est, ut ille, qui multâ ejus notitiam redemit pecuniâ nobis communicavit:

R. sem. 4 frigid. maj. excort.

papav. alb.

milii ♂is aa. 3j.

c. v. saxifrag. & petrosel. fiat Emulsio,

cui exsiccatæ adde :

spec. diatragac. frig.

sem. mespil.

cynosbat. tro-
 chisc. halicacab. ca-
 rab. aa. 3j.
 millep. c. liqv. alcahest. Glaub. conspers. 3jj.
 rad. pimpinell. pp.
 ♀ vegetab. sive sem: lycopod.
 ♂ ononid. aa. 3g.
 sacch. albiss 3jj. M. f. pulv. subtiliss.
 cuius dosis est 3j.

Ecce secretum hecatombe dignum. In Ischuriâ ab inflammatione eximiam affert utilitatem V. S. maturè celebrata & emulsiones, quibus ocul. & ppt. lap. percarum adduntur. Cæterum in omni urinæ suppressione expedit, ut alvus sit libera, atque hinc nemini non nota commendatio clysterum, quæ non tantum fœces educunt, sed & propter situm intestini recti vices fomenti subeunt. Quæritur verò, num etiam purgationes convenient? Celeberrimus aliquis Medicus eas non ita simpliciter admittendas esse censet. *Quidam*, pergit, *Cassiam* hoc in affectu valdè commendant, & animam quoque renum vocant, & pro singulari remedio extollunt, alii vero eam urinam ciere & acrem quoque reddere re ipsâ se comperisse putant, ideoque haud commode in Ischuria in primis legitimâ adhiberi arbitrantur, quâ de re videri potest Clariss. Petrus Pi- græus lib. 7 c. 4 it. Fabr. Hildanus Cent. 1. Epist. 34 & 35 & tandem doctissimus vir ita concludit: *Loco itaque purgationis tutius & commodius clysteres, quo-*

ties opus erit, adhiberi paterunt. Enim verò Collega noster D. Pauli observavit, quod in obstructione urinæ diuturniori, & tantâ quidem, ut musculosus corporis habitus in tumorem cœdernatosum jam elevaretur, nephritica cum laxantibus maritata, ac copiosè per aliquot dies ingesta, opem unicè tulerint: Et certè experientiâ convicti sumus, quod laxantia tūm quidem profint, quando vel massa humorum heterogeneis partibus ita abundat, ut secretio urinæ nulla fieri possit, vel serum ad alia corporis emunctoria copiosius affluit, ac ibidem stagnat. In aliis verò casibus purgantia potius danno esse, quam emolumento, sumus quam persuasissimi. Eorum tamen morem laudamus, qui sublatâ urinæ suppressione laxans accipiunt, quod illustri cuidam Polono, crebrius urinæ detentione afficto, in usu erat. Ferè exciderat, quod in egenis post lapsum urinæ suppressionem viderimus, hanc verò à thrombo seu grumo sanguinis derivavimus. Multum solatii sunt experti miserit ex pulv. ad casum D. Ludov. ocul. & diaph. & sperm. ceti, ut & mistura ex essent. pimpinell. hyper. agrimon. ungvento carminativ. August. externè illito, quod in casu ab alto planè egregium est. Cæterum, quando in renibus calculus grandior, quam ut per ureteres in vesicam descendere possit, urinam suppressit, antiquis etiam in usu fuit alia ma-

nu-

nualis operatio ac incisio, nobis hodie ignota, quā lapidem hunc, ad quem urinæ fluxus allidebatur, removerunt. Meminit ejus Hippocrates, sed quia locus ille nobis non incidit, sistimus testem prælau-datum jam ante Anatomicum & Chirurgum J. Mery in libro citato ita scribentem : *On trouve aussi dans le même Hippocrate, quel l'on pratiquoit encore une autre operation de la taille, par laquelle on tiroit la pierre du rein. Mais soit qu'Hippocrate n'ait point decrit ces operations, soit que les ayant decrites, elles ne soient pas venues jusque à nous, non plus que plusieurs autres de ses ouvrages, nous n'avons aucune connoissance de la methode, dont on se servoit de son temps* &c.

Per trimestre hoc spatium volvuli exemplum in fœminâ, quæ per totam vitam, quantum meminerat, alvo fuerat tardiori, conspeximus. De vago, sed exquisitissimo dolore circa umbilicum conquerebatur, & ob cruciatū acerbitatem mortem crebrò expetebat, quod de aliis Iliacis jam olim notavit Aretæus lib. 2 *de curatione acut. c. 5.* Prætereà fixum eumque acutissimum dolorem in ingvine dextro sensit, de quo acerbissimè etiam olim querebatur juvenis, qui post lac & vinum copiosè haustum, ac lactucam exæstuante corpore eodem die ingestam in passionem iliacam inciderat. Hæc verò doloris sedes confirmare videtur orum

sententiam, qui patrem affectam statuunt esse ileon, aut potius finem ilei. Et certè ileon ita conformatum est, ut in ejus anfractibus excrementa crassa immorari queant, meatus quoque in fine angustior, quam in aliis locis, & si Hildanum audiamus *Cent. i observ. 61* facile in consensum trahit valvulam coli, eamque constringit, quò ipso transitus exrementorum omnino prohibetur. Itaque in eâ sumus sententiâ, quod quotiescunque à fæcib⁹ induratis ab assumptis aut deglutitis chordapsus oritur, ileon, aut potius ilei finis maximè omnium afficiatur, ac περιτονευτικὸν sit hujus mali. Si verò aliundè volvulus oriatur v. g. à compressione & strangulatione intestinorum in herniis, quamvis & tum potissimum ileon affici notum sit, a vicinarum partium tumoribus, e. g. à pancreate scirrhoſo apud Kerkring. *obs. 42*, à tumore mesenterii apud Hildanum *Cent. i obs. 51 & ani* apud Tulpium *lib. 3 obs. 10.* à coalescentia intestinorum post eorundem exulcerationes & erosiones apud Barthol. *Cent. 6 H. A. obs. 38* non ibimus inficias, quod prim⁹ mali fomes etiam in aliis intestinis delitescere sæpè soleat. Hinc fortè motus Hippocrates intestinum expresse non determinavit, & si ad descriptionem ejus attendere voluerimus, sufficienter liquebit, illum in eâ fuisse sententiâ versatum, quod præcipue colon in nostro morbo afficiatur. In historiâ mulieris iliosæ *lib.*

lib. 3. epid. ag. 9. labores seu dolores, inquit, circa hypochondria aderant, qui in inferioribus secundum ventrem locis cum terminibus assiduis urgebant. Notum verò satis est, quod sub nomine hypochondriorum regionem epigastrii pariter comprehendat Hippocrates, adeoque hâc suâ descriptione indicet, maximè omnium pati colon, ut potè quod hypochondriorum & epigastrii regionem non exiguum occupat. Conf. Hippocrat. lib. 3 de morb. sect. 5. Sed nos ad nostram ægram revertamur. Admodum inquieta erat & crebrò sese jactabat, quod etiam aliis iliacis familiare, adeò, ut Cœlius Aurelianus hoc malum arbitretur dici volvulum, quod, quos istud exagitat, præ doloris vehementiâ convolvantur, nec quiescere possint. Manifesta quarto morbi die inflammatoriæ febris aderant indicia. Nos præmissis sine effectu clysteribus, fomentis, limentis & cataplasmatibus venæ sectionem urgebamus, sed ad illam planè ægra sese persuaderi non patiebatur. Ad inflammationem itaque tollendam, & dolores leniendos conversi sumus, sed frustrà laboravimus; cum per biduum artis præsidia nullum ei levamen attulissent, ab iis abstinere decrevit. Circa vesperam diei sexti vomitus enormes superveniebant, ac negato per tot dies per inferiora fœcibus exitu, per os stercora ejiciebantur, motu peristaltico intestinorum inverso. Inter mil-

mille tormenta ferè deficieni ac per tres dies variis
vomitibus fatigatae singultus accedens, cum incre-
dibili æstu ventriculi spem faciebat, brevi adfutu-
ram mortem tot votis desideratam, quam imper-
territio animo exspectavit, fortior Calano Philoso-
pho ex Gymnosophistis Indis, qui vel ex fastu, vel
præ doloris colici vehementiā in pyram sese conje-
cit & combussit, ut narratur, non tamen sine nota-
bili circumstantiarum differentiā à Diodoro Sicu-
lo, Curtio lib. 10. Arriano lib. 7. Valerio Maximo
lib. 1. & Strabone aliisque. Ante mortem alvus
soluta quidem est, sed sudor gelidus, frigus extre-
morum ultimam instare horam nunciabant, quæ
etiam brevi post secuta est. In aliâ notavimus fœ-
minâ iliacâ biduò ante mortem sedes nigras spontè
erupisse, quod nobis signo fuit intestini sphacelati,
nam inflammationem intestinorum in gangræ-
nam & sphacelum subindè in hoc morbo abire,
non tantum Sylvius, sed & alii testantur, & experi-
entia convincit, nisi fortè volueris ejusmodi deje-
ctiones à suppuratione intestinorum deducere,
quò quidem respexisse videtur Aretæus, scribens:
*lib. 2 acut. c. 6 Multi quidem uitmentorum repente
intereunt: aliis intestinum suppurat, deinde nigricans,
tunc & putrefactum excidit, atque ita deficiunt.*
Pauperibus quibusdam pulverem Joëlis magnæ
fidei ac experientiæ practici, sæpè iterumque justo
tem-

tempore datum Iliacis profuisse scimus; iste mirâ simplicitate sese commendat, & componitur ex flor. luteor. chamæmel. sem. malva aa. 5j. exhibetur cum tepido flor. anethi decocto. Nec minus nobis notum, quod ex usu jusculti carnis vitulinæ, in quo malva fuerat cum flor. chamom. decocta, aliquoties repetito, Vir iliacus pristinam recuperarit sanitatem.

Nunquam patuit nobis melius, quam Caloris & frigoris subitaneæ sicissitudo. per trimestre hoc spatum, quantum improvisa ac subita mutatio aëris calidi aut tepidi in frigidiusculum aut quodammodo horridiorem, aut siccioris in humidum valeat in concitandis catarrhis, flatibus, dolore ventriculi, diarrhoeis, &c. Nam multimolestias hasce passim experiebantur, tametsi vix unus & alter statim Medicorum subsidium imploraret. Inter illos, qui damna perpeſſi sunt, numerandi opifices, quibus in more positum est cœlō paulò fervidiori abjectâ tunicâ etiam subdio, si occasio ferat, & opificii genius requirat, exantlare labores; hi enim, si paulò sint teneriores, authonestius educati, in molestias ante memoratas incidunt, quas tamen diuturna consuetudo satiſ tolerabiles illis reddit. Hanc aëris vim alii paulò lautioris sortis in vere evidentius experiuntur, quando justo citius pelliceas vestes abjiciunt, & cum aliis levioribus commutant. Profectò non semel hâc occasione in febres lapsi sunt. Omni-

Y um

um maximè improvisâ frigiditate valetudinarii plectuntur, ob organa quadam perspirationi dicata valdè imbecilla, tenuemque corporis habitum, ut ponderi supervacaneo ferendo non sufficient, quin aliqua sensibilis humorum eruptio vel statim hominem opprimat, vel parti minus sana impacti (scilicet humores) diu excrucient, &c. ut observavit Listerus in Comment. in Sanct. static. sect. 2. aphor. 10. Tantò magis mirandi sunt Mosci, de quibus hæc notatu digna leguntur dans la relation de trois ambassades de Carlisle p.m. 47. qu'ils sont tellement accoutumés au froid & au chaud, qu'ils entrent de l'extremité de l'un dans l'extremité de l'autre, sans que ce changement incommode leur santé. On y void de petits enfans sortir en chemise de leurs chambres chaudes l'hyver, & après s'être veautrès quelque temps sur la neige dans l'extremité du froid, retourner à un exer de chaleur, sans que ce changement de qualités contraires leur cause de l'alteration, &c. Plebs in Curlandiâ aliquâ ex parte ad indolem Moscorum hâc in re accedit, nam postquam & hæc in tuguriolis suis immodico calore, frictione, ac vapore ex aquâ cendentibus silicibus, ex quibus fornaces eorum parantur, affusâ, sudores largissimos provocavit, illicò frigidissimâ aquâ corpus suum perfundit, ac ad labores consuetos redit. Lepidè describit hunc eorum morem J. A. de Brandin

Iti-

Itinerario germanicè per Henninium sub initium seculi hujus edito p. 76. seq. Plebs, inquimus, in Curlandiâ hæc citra damnum sanitatis facit. Alia est ratio aliorum; nam quod subitaneam aëris calidioris cum frigidiori commutationem non omnes impunè ferant, docet exemplum Nobilis apud Clariss. Lentilium in *Miscell. Med. pract. part. I. p. 213.* Is mediâ hyeme, cum hypocaustum vementius incaluisset, tunica soluta, pectoreq; nudato subito frigidum aërem subiit, ab eoque tempore dolorem sentire cœpit, adeo debilitato pectore, ut etiam aestate ardentissimâ opus habuerit illud pulvini fovere, quod ni fecisset, statim lacinans dolor omnne spatum, quo sternum exporrigitur, occupabat. Nunquam planè dolor cessavit, quod si tamen pectore non probè munito in publicum prodiisset, exacerbatur, referente eodem Lentilio.

Dysenteria oppidò erat rara, nisi quod *Dysenteria.* eam in aliquibus ex morbillis ægrotanti sub morbi declinationem observaverimus, sed non nisi faustam ac salutarem.

Primo Octobris die cœlum nubibus obductum erat, spirabant venti, ac pluebat. Unô alterove die gratior aér, sed in septimum usque tūm ventis, tūm pluviis turbidus erat, ab 8. usquè ad 23. ferè semper amœna autumnalis aura nos fovebat. Per resi-

Constitutio aëris in Octobr. Novembr. Decemb.

duos Mensis dies plerosquè nebulæ, venti, pluviæ, aëris serenitatem modò magis, modò minus turbabant. In Novembris initio post ventum frigidum & pluviam terra pruinâ & frigore rigebat, at vis frigoris per pluvias & nives usquè ad 9. obtundebatur, quô aura cœpit esse verè brumalis. Nondum elapsò octiduò frigus remittebat. Horridior tempestas ac ingratior fuit propter continuas nebularum, ventorum, pluviarum, nivium frigoris &c. vicissitudines, propemodum usque ad mensis finem. Nec lætiores nobis per Decembrem ferè totum illuxerunt dies, imò venti subinde magis tumultuabantur, ac frigus modò levius, ut die 10 & 20, modò verò intensius, ut 17. corpora nostra continuis aëris mutationibus obnoxia graviter afficiebat.

*Morbi hujus
temporis.*

Hoc tempore rursus catarrhales morbi omnis generis longè frequentissimi erant, capitis dolores & odontalgiae non paucos fatigabant. Hypochondriaci ac splenetici à magno symptomatum circumagebantur turbine; nonnulli etiam in melancholiā incidebant. Præterea illa, quam descripsimus, aëris intemperies peperit cachexias, hydropses, ulcera maligni moris in pedibus, & non paucis, etiam phtisicis fuit lethalis. Senes, qui alias autumno non malè agunt, vomitibus, diarrhoeis, stranguriis ac dysuriis infestabantur.

stabantur. Asthma humorale his illis molestum erat. Ischiades & alii morbi podagrī malè molestabant alumnos suos. Dolores circa scapulas molestè ac diuturnè exagitabant illos, qui nondum in castris Arthriticorum militabant. Ejus generis ægritudinem aliis remediis nihil proficientibus hâc viâ sustulit D. Preus: manè laxantia exhibuit, circa noctem verò anodyna propinavit, ac loco dolenti Emplast. de melilot. & spermat. ranar. mixtum tam felici eventu imposuit, ut mox halcyonia sequerentur. Scorbuticorum corpus variis notabatur maculis.

Visa fuit valetudinaria sex annorum puella in nosocomio ad S. Sepulchrum à D. Preus, cuius exhaustum corpusculum creberrimè punctis atris tanquam stigmatibus quibusdam distinctum fuit. Hæ maculæ evanuerunt multoties, secutâ oris hæmorrhagiâ. Narium hæmorrhagiam in lepidâ puellâ parentibus hypochondriacis nata febri cum scorbuticis maculis laboranti admodum salutarem observavit D. Pezoldus. Illa, postquam sub vario cœlo, pluviâ, nebulis aliquando fœtentibus &c. quotidiè in suburbio per lutum non rarò ad crurâ usquè pertinens scholam quamvis mephitim olentem frequentasset, à meridiè inhorruit, subsequentे summo æstu citra sitim, cum somnolentiâ ac sudore co-

Maculae Scorbuticae.

copioso vires admodum dejicienti. Cum morbus per aliquot dies hâc ratione processisset, grandes in facie maculæ viridi colore eruperunt; die autem morbi decimo quarto pustula ex virore livida in medio manus digito cum tumore magno, rubro radiosque in brachium diffundenti effloruit. Comitabantur lacinans capitis & membrorum dolor, acutissimæ in hypochondriis puncturæ, agrypnia, deliria, pavores & respiratio anxia. Recurritur die sequenti demum ad Medicum. Iste exhibet pulv. bezoard. D.W. c. nitro & tantillo camphoræ, & potionem ex Decocto. citri, gelatin. C.C. syr. rub. id. & acetosit. citri, ut & ol. amygd. dul. cum camphor. pro leni deglutitione, externè ex mandato ejus maculis adspersus est pulvis ex farinâ fabar. flor. sambuc. myrrh. ceruss. & camphorâ. Nocte, quæ diem hunc excepit, sudor non adeò effusus fuit, naturâ moliente narium hæmorrhagiam, quæ etiam secuta est cum summo levamine, nam mox dolores capitis, hypochondriorum punctiones, anxietates & dyspnœa multum de ferociâ remiserunt, inflammatio pariter in gangrænam tendens fuit discussa. Effloruere aliæ pustulæ virides, quæ sponte suâ apertæ saniem spissam fuderunt, successit etiam ophthalmia, fortè quod non satis sangvinis ex naribus stillasset, quæ tamen & ipsa profligata fuit pulvere ex ȝ diaphor. C.C.

ppt.

ppt. Nitro &c. & collyrio ex \triangleright chelidon. maj. rosar. facch. saturn. & nihil. alb. Tardè puella recuperavit vires, nam sex ab exantlato morbo septimanæ præterlapsæ sunt, antequam illæ redirent. Hoc prætereà notatu dignum est, quod virulentia materiæ in pustulis frontis tanta fuerit, ut supercilia inde eroderentur. Penetrantissima camphoræ etiam virtus inde colligi potest, quod sudor post usum camphoratorum exquisitè camphoram redoluerit.

Abscessus seu ulcera renum, unde scaturire solet mictus mucoso-purulentus, gravissimum est malum, in uno alterove his mensibus, præcipuè verò posthac in adolescente illustrissimis progenitoribus sato, nobis multum perperit laboris ac tædii, sed parum præmii. Isab infantia valetudine usus fuerat causariâ, & inter cebros morborum insultus pueritiâ excesserat. Habitus corporis, cum ad eum vocaremur, talis erat, ut credere posses, eum esse phlegmaticæ constitutionis, quamvis ab ortu sanguinei fuisse temperamenti, nobis admodum videretur verosimile. Laboraverat iste tum jam per biduum febri vehemtissimâ, quam ex censu inflammatoriarum aut suppuratoriarum esse, ex pulsu & aliis circumstantiis augurabamur; ista, post exhibitam cum præcipitantibus emulsionem spe citius desit, & nos abun-

*Exulceratio
renum.*

abundè convicit, quod utiquè suppuratio, quam febris fatis intensa nonnunquam comitatur, facta fuerit. Itaque ad solicitum excretorum examen conversi sumus. Meruit omnium maximè attentionem urina, quam industriè per aliquot dies, imò & septimanas cum aliis phænomenis consideravimus. Illa simulac redditia fuerat, crassà ac turbida existebat, lactis sero non absimilis, & deterrimo odore nares feriebat, tandemque quiete aliquot horarum deponebat sedimentum viscidum & cohærens, narium muco non dispar. Hujus crassamenti viscidì ac glutinosi, quod urinæ permistum cum eâ defluebat, magna erat quantitas, & minimè vani fuerimus, si aliquot uncias per diem unum fuisse excretas, dixerimus. Tametsi verò intra quinque aut sex horarum spatiū ad fundum matulæ materia ista subsideret, reliquum tamen urinæ per istam separationem non reddebatur clarum, sed turbida jumentorum lotia imitabatur. Crebrò ad emitendam urinam stimulabatur, quô ipso cum somnus ejus interrumperetur, admodum langvere cœpit adolescens. Cum crebrô illô mihi conjunctus erat lumborum ardor, & dolor ad collum vesicæ. Ante effluxum urinæ de distensione, inflatione ac tumore vesicæ conquerebatur, qui molestiæ sensus, redditâ urinâ multum minuebatur. Sed hoc permolestum ac grave ei acci-

accidebat, quod ubi tantillum urinæ ei esset red-dendum, simul quoque stimulum in intestino recto sentiret, & odiosa ejiciendi cupiditate urgeretur. Sensum ardoris quoque in urethrâ & in collo vesicæ percipiebat, quando urina erat excernenda, quamvis non planè ipsam vesicam & ureteres excluderemus, eò quod continuò mingere æger conaretur, quod nobis indicio erat, per defluxum aliquot saltem guttularum urinæ per ureteres, stimulum continuum ad excretionem induci. Nos quidem certi satis eramus de abscessu, nam materiam illam, quæ in urinâ post aliquot horas fundum matulæ petebat, esse pus, non tantum ex fœtore gravi, sed & ex eo, quod vitro urinario aquæ tepidæ immisso, sedimentum non solveretur, & urina clara non redderetur, quod fieri solet, ubi pituita sola urinæ permista est. Suspicio gonorrhœæ virulentæ in adolescente valetudine adversâ per totam vitam presso, & solicita Ephorum inspectione educato, locum nullum habebat. Si dixeris, juxta Horatium Augenium, purulentam materiam non im-petere, sed per urinam fluctuare, respondebimus, eam vero consonam non deprehendi, nisi illud Augenius velit, pus non statim subsidere, sed per urinæ corpus per aliquot horas esse dispersum. Quantitas autem puris nos facile convincebat, non vesicam, aut ureteres, sed renes abscessu, aut si illud

magis placet, ulcere obſideri. Sed verò illud nobis obſcurum erat, & adhuc eſt, an renum abſcef-ſus, quō purulenta materia coērcebatur, ex phle-gmone oriretur, aut à calculo, qui renem vel ſuo pondere contunderet, vel attritu comminueret ac exederet? In priorem ſententiam, ut verum fatea-mur, magis propendebamus, tūm propter febrim, de quā ante diximus, tūm quod nunquam hacte-nus calculum exclusiſſet. Accedit, quod ipſa ge-nesis calculi renum cum Celeberr. Stahlio *in pa-thologiā membr. 6. artic. 2. à ſtati inflammatoriā ac a-poſtematis hinc orientis ulcerofeſcharotico muco probabiliflīmè deducatur.* Sensum ardoris pus fœ-tidum cum urinā transiens per vias urinarias mor-dendo excitare tantò veriſimilius nobis erat, quod urina falsior & tenuis eam moleſtiam nonnun-quam inferat. Non dubitamus, quin procedente tempore excoriatio vesicæ ſecutura eſſet, quam tūm maximè metuebamus, ubi importuna ad de-ponendam alvum irritatio in intestino ſeſe magis ac magis exerebat. Hanc de morbo fovebamus ſententiam. Nam nullum indicium nos cogebat in hoc ſubjecto ex urinā mucosā cum doctiſſimo Listero *in exercitat. de calc. human.* quam *exercitat. anatom. tertia conchyliorum bivalvium addidit,* ſuſpicari, vesicæ corpus eſſe cancroſum. Securi etiam eramus, exploratione & per digitum Chi-rurgi

rurgi in anum, & per catheterem in ipsam vesicam immisum, factâ, de absentia calculi in vesicâ, ex cuius magnitudine, figurâ & motu, &c. dejiciendi cupiditatem idem Vir. Clariss. derivat. In curâ, cum egregiè sese gessissent emulsiones, placuit eorum usui porrò insistere, imò suaseramus usum ipsius lactis, aut sericaprilli, cui infudissemus, nisi æger reluctatus fuisset, modò unam, modò alteram ex sequentibus *radicibus*: Sassafrass. chin. alth. cyperi, petrosel. & schoenanth.; *herbis*: Veron. heder. Vst. musc. saxat. flav. auricul. mur. equiset.; *floribus*: malv. hyper.; ex *lignis*: Lentisc. nephrit.; ex *fructibus*: jujub. & sebest. sed ad ejusmodi infusa ac decocta adhibenda nec persuasib; nec precibus, aut comminationibus impelli poterat. Juscum ex radicibus alth. & malv. cum summâ nauseâ bis terve adhibuit. Proponebatur ergò mulsum, & cum illud pariter brevi fastidiret, mellita & saccharata alia ob conspicuam in iis vim abstergendi commendabantur, quæ tam & ipsa non diu ei erant ad palatum. Deinde ab Ephoro adgebatur ad adhibendum pulverem ex ocul. sc. bolo armen. gum. arabico & aliquot guttulas bals. peruviani vel saccharo permistas, vel vitell. ovor. dissolutas &c. Præter clysteres etiam in vesicam injiciebantur à Chirurgo ea, quæ addolorem & ardorem leniendum ac abrasionem præ-

cavendam accommodata judicabantur. His remediis cum contra pertinacissimum & molestissimum affectum per tres circiter septimanas esset pugnatum, symptomata quidem multum remittebant, magna tamen purulentæ materiæ quantitas semper adhuc in urina conspiciebatur. Fati-gatus à nobis æger, vicissim nos non parum fatigaverat, ac pertæsus moræ Medicum, qui cum Collegâ quodam nostro ante nostrum accessum curationi præfuerat, ex itinere reducem denuò ad-vocat. Ego breviter exposui, quidnam de morbo sentirem, quænam in absentiâ illius cum Collegâ altero communi consensu facta essent, quæque porrò molienda esse, crederem; ignarus, quænam ei de morbo federet sententia? Multoties exper-tus sum, in Consultationibus Medicorum idem fieri, quod incuriis & judiciis fieri scribit Vir Clariss. Hubertus Loyens in tract. *de Curia Brabantia* c. 16. p. m. 127.: Reperiuntur nonnulli, qui in sententiis dicendis, quum id, quod dicturi erant, videant ab aliis, qui priores dixerunt, quasi præoccupatum, eosque pudeat, vel idem repetere, vel palam in sententiam priorum ire, correctiunculas quasdam addunt, quærentes in scirpò nodum, aut sophisticis subtilitatibus aliorum sententias enervant, ne cuiquam succubuisse, aut quicquam concessisse videantur. Alii prater-ea sunt, qui nihil explicatè, clare & aperte dicunt,

sed

sed compositis verborum involucris judicium ita concipiunt, ut ad utramque partem accommodari possit, more carminum Sybillinorum, idque eo studio faciunt, ne à majorum gentium diis dissentire videantur. Alii prolixitate, & longis verborum ambagi- bus ita se intricant & involvunt, ut nodum causare reperire non valeant, & filo Ariadnis opus habeant, quò ex istis Mœandris sese explicent. H. J. Quid multa? Post longam disceptationem novum proponebatur remedium, cuius laudes mirificè celebrabantur, illud erat balsamus ḡris terebinthina- tus, de quo bis singulis diebus 14. guttæ essent capiendæ. Modestè respondebam, notam mihi hu- jus medicamenti virtutem, nec ignorari à me, quantoperè illud à Sylvio ad ulceris mundatio- nem ac consolidationem, si ejus nimirum aliquid ulceri instilletur, lib. i. prax. medic. cap. 40. effera- tur, interim tamen cautelam Celeberr. Wedelii de balsamo hoc, ac aliis terebinthinatis præsertim in tantâ dosi teneris ac delicatis ægris non exhiben- dis, videri tantò magis observandam, quod Illu- strissimus adolescens etiam gratissima remedia nonnisi cum summâ nauße caperet. Excanduit his auditis vehementissimè, ac discessit. Quid fit? Persuasus ab Ephoro suo æger sumit 7. guttas, sed incredibile dictu est, in quantas inciderit anxieties, quantos dolores in renibus, quantum ardorem

in reddendâ urinâ hinc perpessus fuerit. Itaque non nisi blandiora remedia, cum in nos curæonus esset devolutum, habuere locum, ac inter ea conservam rosarum cum pulveribus quibusdam remistam laudare possumus. Profecimus mensis spatio tantum, ut & materia purulenta multum minueretur, & symptomata reliqua cessarent. Enimverò brevi tempore illa halcyonia durarunt. Nam postquam denuò triduanâ, sed valdè æstuofâ febri correptus fuisset, rursus purulentam ac mucosam urinam cum symptomatibus solitis excernere cœpit. Irriti fuerunt labores nostri per tres menses, quandoquidem præfracte usum omnium remediorum adolescens respueret. Chirurgus post tot hebdomadas fluxum purulentæ materiæ imminui cernens, plenariam solius injectionis, quæ ex radice aristoloch. rotundæ parabatur, beneficio, restitutionem pollicetur; Pactus sibi ducentorum Imperialium præmium, quod etiam consecutus, cum purgato diuturnitate temporis abscessu, purulentia amplius in urina non cerneretur. Nec verò habuit, cur diu Chirurgus cristas erigeret, nam adolescens præterlapsis aliquot mensibus in pristinum relapsus est statum, metuendumque est, ne eadem illum fata, quæ puellam quandam septem annorum pessundederunt, maneant. Hæc cum per septem menses lotium purulentum minxisset,

xisset, febre contabuit, ac mortua est. Placuit D. Klaunig cultro anatomico in constitutionem renum hāc in puellā inquirere. Quod ubi factum, renem sinistrum justo majorem deprehendit, tubuli istius interni partim scirrhosi erant, partim pus plorabant. Rem dexter ita exesus apparebat, ut externa ejus tantum tunica superesset, quā tanquam bursā collapsā puris aliquae reliquiae includebantur. Corruptio jam serpserat ad musculum psoas, qui viridi infectus colore inter digitos ejus præ nimiā mollitie defluxit. Interior vesicæ urinariæ tunica pure erat obducta; prope cervicem vesicæ latitabat calculus instar spongiæ porosus, albicans, magnitudine ovo gallinæ respondens, sed, quod mireris, pondere tantum dimidiam æquans unciam, qui urinæ fluxum ultimis vitæ diebus fuerat remoratus, ac fata miseræ accelerarāt. Pudenda ob materiam purulentam valdè acrem excoriata erant. Cætera viscera immunia à labe inventa sunt, nisi quod lien æquo minor, hepar autem tantò grandius foret. Folliculus fellis bile turgescebat. Aliàs notatu digna sunt Fernelii *de part. morbis & symptom.* lib. 6. c. 12. p. 316. sapè vidimus totā renis carne ac substantiā perefā, ambiente tanquam marsupio membranā pus calculosque multos obvolvi.

Quartanæ febres multos omnis æta- *Febris Quartana.*
tis

tis homines excruciantur. Cura, nec in senibus
quidem usque adeò ardua erat, quam hoc ferè
modo instituimus: per aliquot dies salia digestiva
bis etiam in die pro indole ægrorum exhibuimus.
Horum virtus magna est, ac meminimus solum ♀
Θ. in juscule quotidie exhibitum Illustrissimæ
matronæ sexagenariæ, quævis medicamenta nau-
seanti, ante aliquot annos egregiè profuisse, vim-
que febris insigniter enervasse. Certè hujus, ac
misturæ cujusdam antifebrilis beneficio febrim
pertinacem feliciter superavit. Digestivis subjun-
ximus evacuantia mitiora, & quidem, ubi ex no-
stro arbitrio res geri poterat, in formâ infusorum
ex rad. gentian. helen. polypod. fibr. helleb. nig. fol.
trifol. fibr. card. bened. summit. cent. min. comar.
absynth. cort. citr. ♀ sat. fol. senn. s. stip. ubi verò
precibus & palato ægrorum indulgendum fuit, in
aliâ quâvis. Pilulas quando præscripsimus, con-
suetas apud nos massas cum extract. scord. gentian.
cent. min. helleb. nig. ferè semper miscuimus, in
potionibus species dia ♀ ri Mins. aliis prætulimus.
Sæpè intra sedecim dies alvum quater blandè abs-
que omni violentiâ subduximus. Diebus à laxa-
tione vacuis ter quaterve gutt. ex Elix. antifeb. D.
M. stomachic. ejusd. Ess. alexiph. &c. in vino exhi-
buimus. Rarò integer effluxit inter horum reme-
diorum usum mensis absque memorabili febris
remis-

remissione, quæ hâc ratione fracta vel chinatis, vel theriacâ, vel croco & tis debito tempore cum prudenter exhibitis facile debellari potuit. Post febrim profligatam amara per 14. ac plures dies continuavimus, ac ita plenissimè citra ullum restans symptoma atque subsecutam recidivam Quartanarii à nobis curati convaluerunt. Aliam sortem expertus est Juvenis 20. annorum aliò modò, id est, imperitissimè tractatus. Ille Octobri ineunte febri quartanâ inordinate paroxysmanti corruptus, empyricum, narrante D. Pezold, consulit. Hic Agyrta more suo intra triduum bis violentissimè ἀνακραγόμενος evacuat. Commota hinc fuit acriter camarina, vehementissimè agitati succi vitales, & calculus in renibus sine dolore delitescens, sede suâ expulsus est. Hinc Dysuria secuta, cui obviam iturus egregius noster ex equisone Æsculapius ol. terebinth. propinat pessimis ægri rebus, siquidem non tantum hæmorrhagia narium planè enormis inde excitata, sed & omnimoda urinæ suppressio. Ad ægrum pridie mortis ejus votus D. Pezold, tum alia, tum emulsionem ex sem. viol. cum millepedibus, facto prognostico, frustra exhibuit, nam viribus exhaustus quaternarius in flore ætatis, culpa ac severè plectendâ ignorantia stolidissimi medicastrî miserè periit. Quartanis febribus, si quando aut ægrorum, aut Medici, aut

viscerum infimi ventris (nam & ab horum vitiis easdem foveri certum est) culpa justo diutius durant, interdum succedunt post annos etiam febres continuæ, mali moris ac periculosissimæ, quæ nec abscessibus quibuslibet, etiam iis, qui verbo Hippocratis *infra morbum sunt*, solvuntur, ut experti sumus in fœmina quadragenaria. Hanc febris quartana ultra annum protracta malè multaverat, quâ cum liberata esset, non tam medicamentis, quæ cholérica suoque abundans sensu mulier semper aversata fuerat, sed temporis longinquitate, cœlique clementia utcunque cum sanitate pristina redierat in gratiam. Diximus, utcunque ; nam plenariam non crediderimus illam reconciliacionem, quia spiritus fœtorem, labiorum livorem, ac defoedationem, fuscum faciei colorem post se febris ista reliquerat. Dubiâ hac valetudine ei frui contigit per notabile temporis spatium, quô elapsô in continuam incidit febrim, eamque lethalem, secus ac alias quidam Vir Illustris, qui à quartana planè exhaustus, cum præter spem omnem optimè intra mensis spatium convaluerisset, intra paucas septimanas, postquam vino & ira incaluerisset, febri acuta cum pessimis symptomatibus corruptus est. Et certe ne ipse quidem Hippocrates de subsecutura morte dubitasset, consideratis, provectioni ætate viri, viribus admodum præcedenti
mor-

morbo debilitatis, perpensis deliriis, singultu, typhomaniâ, involuntario urinæ & excrementorum effluxu, floccorum collectione, &c. evasit tamen feliciter & ad hanc horam sanus & salvus supereft. In nostrâ ægrotante æstus vehementer erat intensus, interdum, sed noctu omnium maximè cum incredibili anxietate, inquietudine vigiliisque perpetuis; quasi præscia mortis suæ esset, nullâ suarum rerum curâ tangi videbatur. Urina multo eoque copiosissimo sedimento abundabat. Credidisse naturam velle omnia excrementa in vias urinarias deponere. Mihi erat frequens, sed pauca. Latens etiam aliqua phlogosis in ductibus urinariis observabatur. Postquam ultra 5. septimanas his malorum fluctibus jactata esset, de dolore inguinis in dextra regione conqueri cœpit, breve post tumor, abscessus rationem utique subiens, ibidem exortus est. Vitium non esse cutaneum, sed scaturiginem habere internam, facile apparebat. Et nisi nos omnia fallunt, morbus prægressus, corporis constitutio & omnia pathemata ante memorata, non vanam movebant suspicionem de affectione aut mesenterii, aut lienis, aut fortè utriusque. Tametsi verò Oraculo Hippocratis illi *abscessus boni sunt, qui inframorbum fiunt;* quò minus tamen in bonorum classem noster referri posset, duplex obstat causâ. Prior erat, quod non satis distaret à

morbo; ex infernis enim optimi illi sunt, qui longissimè infra ventrem & remotissimi à morbo se sistunt: Altera verò, quod non esset *nat' ixiw*, sed in latere dextro, cum vitium lienis & mesenterii palpabile esset. Verè enim, quod Hippocrates de hæmorrhagiâ docet, abscessibus illis applicari potest, & nisi fallimur à Dureto applicatum fuit istud Senis Coi: *Quæ fit è diverso hemorrhagia, prava est, ut in liene magno è dextris, atq; similiter in hypochondriis.* Unde exigua apud nos quidem de sanitate spes, quæ apud Chirurgum erat maxima. Nec ipsi quidem spem omnem exuissemus, nisi in sinistro latere apparuisset tumor ille, memores Herophontis apud Hippocratem: *Huic lien intumuit, inde bubo sinister, mox in crure nat' ixiw facto abscessu præter spem convaluit.* Præcedenti hyeme cum febris pessimi moris cum symptomatibus variis, aphoniâ, epilepsiâ in puerो sexenni, cum deliriis, summo capitis dolore & visûs obtenebratione *in virgine adultâ*, cum cardialgiâ, tremore partium *infamulis duobus* in unâ eademque domo sœviislet, omnesque ex singulari DEI gratiâ convaluissent, ultimò illustre familiæ caput morbus est aggressus. Tanta vehementia erat symptomatum, præsertim verò singultûs, ut omnes de vitâ ejus actum esse crederent. Nos optima alebat spes, eum ex gravimorbo eluctaturum, cùm dextro femore acerbissimus dolor

dolor oboriretur, eumque brevi post tumor exciperet, eò quod Vir & generis splendore & officii dignitate nobilissimus hepatis obstructione, ac ex immoderatori usu meri ac irâ impetuosa ejusdem inflammatione laborare nobis videretur. Et planè ita evenit. Adeò dextra dextris & sinistra sinistris οὐόΦυλα καὶ ἐυπρέγεΦυλα. Abscessus in ægrâ nostrâ apertus ingentem puris quantitatem effudit. Evidenter respiratio & tussis docebat, ex abdominis cavitate purulentam hanc scaturire materiam. Quarto ab aperto abscessu die extincta est, nec impetrare ullô modô à marito licuit, ut cultro anatomico indice in fontem ac principium mali inquireretur, quamvis nullo modô dubitemus, extispicium hoc confirmaturum fuisse, nostram de origine morbi sententiam. Hi tamen abscessus distingui debent à tumore in pube apparente, cuius origo in meatu urinario vel in collo vesicæ hærere potest. Ad illustrandam nostram observationem nobis addere novam liceat. Nobiliſſ. Matrona gonorrhœā olim & periodico calculi renū tormento fatigata per aliquot annos de summo urinæ ardore ac lancinatione conquesta in autumno febri corripitur symptomaticā. Pristini cruciatus in immensum augentur. Inter dolorum faces febrisque ignes contabescit. Sumptis gelatinosis ac emulsionibus, continuatoque usu

pulveris nephritici Volckhamm. $\frac{1}{2}$ is lycopodii aliorumque appropriatorum, mitescunt dolores & febris minuitur. Moderatissimè Eſſ. bals. peruv. & lig. sanct. ut & leni Decocto lign. calidè uſa reſumit vires. Ex improviso ſtimulum ſentit ad redendam urinam, & magnam puris fœtidiffimi quantitatem excernit magno cum levamine; quæ excretio ubi per unam alteramve ſeptimanam continuasset, clanculum Chirurgorum & Medicastrorum opem implorat. Res suas in deterius labi animadvertens, rufus ad Medicos revertitur. Porrigitur Decoctum ex abſterſivis in aqua calc. viv. cui ſolutio myrrhæ, niſi fallimur, admixta erat, exhibentur etiam multa alia, ſed ſine fructu. Tandem in pube tumor oritur, ex quo aperto, non niſi oolidiffimus primū eruſat halitus, deinde etiam purulenta materia in memorabili copia effluit. Exhausta viribus tandem vita excedit. Indagine cultri patuit ad oculum in meatu urinario & collo vesicæ vitium ac origo tumoris in pube.

Febris purpura miliaris. Hisce diebus paſſim infantes ac pueri febri purpurata miliarie infestabantur. Corpus conſpersum erat ſtigmatibus multis, parvis, rubris, magnam cum morsibus pulicuſ ſimilitudinem habentibus. Macularum floridarum centrō inſidebant pufculæ ichorofæ. His effloſcentiis cutis quidem tota, præcipue tamen in dorſo,

fo, collo, pectore obsita erat, quasi milio vel ovis pis-
ciuum conspersa esset. Non erant immunes ab
hoc malo quidam eorum, qui morbillis vere præ-
cedenti laboraverant, sed hæc exanthematica fe-
bris hâc vice non tot symptomatibus stipabatur,
quam illa, quæ comitabatur morbillos. Ægrinon
vomebant, quod pueris αδδηΦάγοις efflorescenti-
bus morbillis admodum fuerat familiare, nec de-
bilitabantur copiosis sedibus, quæ morbillos in ple-
risque stipabant. Non vidimus in nostrâ hâc fe-
bri exclusos lumbricos vel ascarides, sicuti in mor-
billis contigerat. Tussiebant quidem nostri, sed
non tam impetuose, multò minus cum metu suf-
focationis, sibilo arteriæ asperæ, venarum colli in-
flatione, constrictione pectoris anxiâ, &c. indivul-
fismorbillorum in haud paucis inter nostrates co-
mitibus. Præcipitantibus, diapnoicis ac diluenti-
bus adjuti morbum intra septem dies superabant.

Tantum in uno puerulo restitabant *Paralysis.*
indicia paralysis manuum, quæ solo specifico ce-
phalico, & potionē ex aquâ cerasorum nig. fl. til.
pœon. & syr. fl. tunic. ac stœch. tollebatur. Ali-
quantò difficilius successit negotium in infante u-
nius anni ablactato, qui absque omni febri ac ex-
cretionē post fluxum alvi cessantem paralysis man-
num & pedum cum inflatione tumidâ harum
partium conjunctam incurrit. D. Preus pulveri-
bus

bus præcipitantibus & liqu. C. C. succinato contra hoc malum certavit. Liquoris guttas 6. aliquoties in aqua fl. pœon. & cinam. buglossata exhibuit. Tandem tamen post usum enematum ad externa ei deveniendum fuit, quæ inter deprædicat seq.

R. Ungu. nervini 3vj.

Ol. Nucif. express. 3jj.

dest. mac.

anth. aa. 3ß.

succin. gtt. V. Misc.

Hoc ipso nucham, spinam dorsi ac lumbos cum articulationibus inungi curavit, unde brevi pristinæ sanitati fuit restitutus, quæ cura etiam in aliis puerulis felicem est sortita eventum, sicubi, quod non adeò raro apud nos evenit, tumores ejusmodi paralytici ac flatulenti artus occuparent, nisi quod interdum loco unguenti usurparetur linimentum spirituosum ex ~. lil. convall. lavendul. & salis * ci, id quod valdè profuit puellæ, quæ simul dolorem colli cum conatu sæpius mingendi, & incontinentiâ urinæ patiebatur. Egregium certè est medicamentum liqu. C. C. succinat. in epilepticis & paralyticis infantum morbis, modò non adeò foret nauseabundum. Virtutem sanè maximam exercuit in filiolâ tertium ætatis annum egressa, quæ durantibus aliquamdiu post variolarum cohærentium copiosam eruptionem, epilepticis motibus non

non sine magnâ difficultate liberata in gravissimum malum, aphoniam ac paralysin totius corporis incidit. Illa sanè ex assiduo liquoris hujus per multas septimanas usu, tantum est consequuta beneficii, ut cum sanitate rediret in gratiam.

Admodum insolens erat his diebus *Fluor albus.* fluor albus, non tantum venereus, quem virulentum vocamus, quique, ubi parum invaluit, semper cum exulceratione quâdam conjunctus esse videtur; sed benignior etiam, in quo per vasa uteri impuritates corporis absque ulla venerei mali suspicione quasi criticè deponebantur. Eò minus autem remediis auscultabat, quò diutius duraverat, id quod magno est argumento, assuetudinem motûs excretorii fluxum hunc admodum reddere rebellem. Maxime profuerunt noduli laxantes & alterantes ex radic. Zedoar. caryophyll. galang. fol. rorismar. menth. meliss. millefol. fl. hormin. gallops. ac rhabarb. In abrotano notabilis uterus purgandi & roborandi virtus nobis deprehensa fuit. Cæteris parum proficientibus ab inveterato malo liberata fuit matrona apozemate *Loffii lib.*
4. observ. medicinal. c. 8. p. 344.

Rx. ras. ligni lentiscin. ʒvj.
 rorismar. ʒjj.
 succin. flav. crassi contus. ʒvj.
 rasur. stanni ʒj.
 ebor. ʒj.

macer. in Wvjjj ∇ font. per 24. horas,
deinde adde:

rad. eryng. $\tilde{\text{z}}\text{ijj}.$

uvar. passar. $\tilde{\text{z}}\text{ij}.$ coqu.

Finem curæ aut martialia, aut ossa sepiæ optatum
sæpiuscule imposuerunt.

*Gonorrhœa
mulierum.*

Non minus operosam diligentiam re-
quirit mulierum gonorrhœa, quo nomine
comprehendimus effluxum materiæ, quæ ex pro-
statarum muliebrium porulis non sine molestiâ
gravi exstillat. Non more quorundam hæc ge-
nera fluxum confudimus, quorum alter ex vasis
uteri, ut jam jam memoratum, alter verò ex du-
ctibus prope meatūs urinarii exitum scaturit, sed
illi quidem præstantissimos auctores secuti fluxus
albi appellationem; huic verò, tametsi propriè di-
cto semine foeminæ destituantur, gonorrhœæ no-
men tribuimus. Et sanè cum *in viris prostrata-
rum fluxus gonorrhœa vocetur, cur non etiam in mu-
lieribus eodem nomine nuncuparetur, cum in utroq;
sexu partium & ductuum eadem ferè sit substantia,*
ut loquitur Regn. de Graaf *de organis mulier. c. 6.
p. m. 213.* Nec ullo modo dubitandum est, in go-
norrhœâ mulierum prostatas affici, cum in *mulie-
re gonorrhœâ laborante post mortem prostatas exul-
ceratas idem Graafius invenerit.* Accedit, quod in
gonorrhœâ non totus vaginæ tractus, ut in fluore
albo obsitus sit mucosâ & acri materiâ, sed reli-
quis

quis omnibus illæsis pars illa circa meatus urinarii insertionem ejusmodi liquamine imbuta, ac interdum etiam exulcerata inveniatur. Facilis autem labor fuerit, gonorrhœam à fluore albo distingue-re, si quantitatem & doloris locum respexeris, nam longè major exundat materiæ copia in fluore albo, quam in gonorrhœâ, & in hâc dolores sentiunt circa uteri collum ac orificium externum, cum in illô de intenso molestiæ sensu circa lumbos conquerantur. Cura ferè eadem est, quæ gonorrhœæ virorum, præmissis enim ex cassia, diagry-dio & dulc. evacuantibus non admodum draſticas, hausto dilutiori per aliquod tempus lignorum decocto, pilulis ex terebinthina inspissata lotaque & ex extracto guajaci, multum profuerunt aliqua medicamenta Wedelianæ, e.g.

R. Eff. lignor. 3ij.
succin.
bezoard. aa. 3j.
anodyn. 3g.
ol. sassafr.
rutæ aa. gt. jj.

it. R. succin. alb. ppt.
magist. 3 diaph.
off. sepiæ.
ocul. 20 ppt. aa. q. v.
ol. lign. sassafr. gt. j. M.

Sumptis his remediis ferè plerumque dolor remisit, in quo demulcendō etiam sese egregiè gerit De-

coctum ex rad. glycirrh. summit. rorismar. herb. petrosel. agrimon. &c. his adhibitis deposita materia effluens pravum suum colorem, ac cœpit albescere, licet aquosior, ut narrabant, esset, ardor quoque in mejendo abscessit. Hoc, ubi ab ægris resciveramus, de sistendâ gonorrhœâ cogitavimus. Jactabat quondam aliquis apud nos, se rerum usu comperisse, Crocum & tis adstringentem omnibus aliis longè præstare. Utebatur verò ʒꝝ cum conserva rosarum, aut baccar. recent. heder. Illustris matrona deprædicabat sequ. Electuarium Viennâ, ut dicebat, sibi transmissum, quod tamen à Chirurgo quôdam concinnatum esse credebamus:

R. Pulv. Cinam.

N. Mosch.

Cremor ♀ aa. 3j.

off. sepiæ 3jꝝ.

sangu. dracon. 3ij.

bol. armen. 3ijꝝ.

mell. rosat. q. f. f. Elect. molle.

Multò efficacius est Decoctum aliquod ex saffaparill. & crud. in petiâ ligato, putaminibus nucis, cortic. granat. rad. polypod. Laudavimus in Historiâ nostrâ alibi balsamicum quendam liquorem pro injectione, quem miscendum esse cum Decocto appropriato quivis facile intelligit; at istæ apud plurimas fœminas locum vix inveniunt, cum quibus etiam de affectu ipso, non nisi suppresso vero ejus nomine differendum est. Fuerunt tamen aliquæ

liquæ, quibus liquamen acrimoniâ ulcerosâ imbutum inflammaverat ac eroferat fibrillas vaginæ, etiam ad hanc necessitatem enormitate doloris adactæ. In vaginam uteri cum summo levamine sequens injectio calidè fuit facta:

R. lact. recenter mulctæ 3ij.

▽ rosar. 3j.

album ov. 3j.

Croc. 3B. M.

In meatum verò urinarium mistura ex ▽ calc. vi-væ, sacchar. saturn. ac melle rosato.

Sine dolore vix meminisse licet, *Bubones se-
nerei.* quam numerosa nullo non tempore inve- niatur multitudo eorum, qui bubonibus venereis in inguine defœdentur. Luerunt aliqui satis gra- ves hisce mensibus impunitatis suæ pœnas. Af- ficiuntur, ut cuivis notum est, circa inguina glan- dulæ, quæ vasis spermaticis tūm præparantibus, tūm deferentibus sunt viciniores, atque hinc sine difficultate bubones ab herniâ inguinali distin- guuntur à peritis. Absentia etiam febris malignæ in nostris ægris eos à pestilentibus separat. Prima mali origo ab impuro cum prostibulis infectis concubitu; nam hactenus à nullo, quantum scimus, est compertum, quod alia via sit ad bubones, quām diversio ad impudicas mulieres, adeoque optimè dans le *Dictionnaire des arts & des sciences de l' Academie Françoise*, in descriptione hujus tumoris

maligni mentio fit commercii avec une femme, qui avoit du mal. Duplici verò ratione messem hanc metunt, qui venereis libidinibus ætatem corrumpunt; nam in aliis quidem præcedunt colis pustulæ, tubercula & ulcera, ac viridis, subcitrini exurrentisque, &c. seminis excretio; in aliis verò sine præludiis hisce miasmata à pure ulcusculorum in fœmineis pudendis latentium, à pene in æstu coitus excipiuntur & ad massam sanguinis illicò transferuntur. Dolæus in *Encyclopædia chirurg.* p. m. 1061. miasma hoc vocat acidum acre, illudque juxta nostrum Auditorem vasorum sanguinis tunicas penetrans illius massa immiscetur, quedam ex illius alcalicis saturat, & quadam sulphura coagulat, quæ in inguinum & axillarum glandulas cum sanguine circulante advecta, in illarum angustioribus tubulis commorantur, sanguiniq; affluenti & materie atheræ advenienti sunt impedimento. Tametsi verò hæc ita placuerint Carolo Musitano *Tom. 4. Trutin. Chir. p. m. 75.* ut retentis etiam verbis quibusdam illa Dolæi adoptarit, quemadmodum passim alibi Germanorum vitulo aravit; nobis tamen non est verisimile, ab eo rem rétè fuisse trutinatam. Ambabus largimur manibus in corporibus gonorrhœâ ac ulceribus affectis, acres observari humores, aut interdum quoque acidos, non tamen hinc cum multis Sylvii hâc in parte

parte aseclis illicò inferendum est, ipsum fermentum, seu miasma acido-acre esse; cum negari nequeat, quod intret, ac interdum latitet aliquandiu in corporibus eorum, qui inficiuntur absque minimo doloris sensu, quod est contra naturam acidi, quod ex sententiâ ipsorum tam forte est, ut etiam vim ejus corrosivam ipsa ossa non evadant. Ingenuè profitemur, nos ignorare naturam fermenti hujus venerei, ac non nisi illud novimus, quod in quibusdam subjectis membrum virile non afficiat, sed illicò in massam sanguinis translatum à principio corporis agente in glandulas inguinales deponatur, & hoc factò ibidem bubones excitentur. In aliis verò, ut evidens est, in ipsum pudendum agit, illud lædit, prostatas etiam exulcerat, ut deinde virus noctu æque ac interdiu ex pene elabatur. Hujus virulentæ materiæ effluxus, si repente à barbitonforibus & aliis Medicorum simiis cohibeatur, bubones exspectandi sunt. Nimirum admodum credibile est, suppressâ repente gonorrhœâ, semen corruptum ex vesiculis seminalibus per vasa deferentia regurgitare, ac enatum inde fermentum partibus vicinis & potissimum glandulis sese insinuare eò ferè modo, quo impeditâ gonorrhœa materia venenata per eadem vasa deferentia ad testiculos refluit, ac dolorificum in iis dolorem excitat. In priori casu, protrusò ex massa humorum ad glandulas

dulas mi asmate, totum corpus glandulosum in ex-
imiam magnitudinem & duritatem excrescit; in po-
steriori verò tantum tunicae glandulam investien-
tes inflammantur ac intumescunt. Utrobique
motus sanguinis remorat patitur. Clariss. Whar-
tonius in *Adenographia c. 27. p.m. 175.* credit, tu-
morem oboriri ob continuum & impetuosum san-
guinis à corde per arterias affluxum, & ob recursum
ejus per venas diminutum. Hoc assertum satis
commodè explicari potest; nam profectò haud
ambigendum, majorem fieri sanguinis ad glandu-
loosas partes congestionem in hoc statu, dilatatis ni-
mirum arteriis ac constrictis tonicè venis, sed illud,
quod ibidem addit de superfluis nervorum humi-
ditatibus, quas vel quantitate, vel qualitate vitiosas
nervi in glandulas expuant, dubium, imò prorsus
falsum est, cum succus nerveus tantoperè jactatus,
ne in exigua quidem quantitate ostendi ab inven-
toribus ejus potuerit in nervis, immediate à spinali
medullâ erumpentibus, non obscurè fatente ipso
Malpighio in *operibus posthumis p.m. 39.* Unde ei
etiam recurrendum fuit, pro probandâ hujus suc-
ci veritate, ad extremos nervorum tubulos e.g. ad
illum, qui in caudâ bovis tribus, vel quatuor fistulis
coagmentatus est, unde per foramen excitatum
terebinthinæ instar exeat succus ille decantatus.
Hæc, si vera sunt, tanta ejus succi copia ad glandu-
las

las inguinis confluere non potest, ut glandulæ interfici, & in tumorem elevari queant. Curatio bubonum fastidii plena nobis semper ferè fuit; nam hoc illi habent proprium præ reliquis præter naturam bubonibus, ut suppuratione eorum, corporimelius sit consultum, quam resolutione. Enimvero maturationem ægerrimè admittunt ii potissimum, qui glandulas secundum omnes suas dimensiones augent, & in earum sinu excitantur. Annisi tamen, quantum in nobis fuit, ut maturationem acceleraremus, & ita circa bubones versati sumus, si magno cum dolore, ut fit, conjuncti essent, dolorem mitigare conati sumus fomentis, & cataplasmatibus ex rad. alth. lil. alb. fol. malv. flor. violar. sem. lini, fœnugr. Inungi etiam eos fecimus mucilaginibus ex sem. psyll. cydon. & ol. amygd. dul. lil. alb. lumbric. hyoscyami & pinguedinibus. His factis non illicò dolor remittit, imò subinde auctus ac intensus, & tum ad emollientia deveniendum fuit validiora, scilicet addidimus prioribus cataplasmati speciebus parietar. verbasc. caric. far. fabar. hordei, coepas, crocum &c. Notu ferè semper Emplastrum ex gum. *co, fermento acri &c. imposuimus. Postmodum ad auxilia maturatoria nos contulimus, inter ea, si cum prudentiâ adhibeantur, unguent. basilic. galban. gumm. *c. egregiè prosunt, quorum virtutem her-

modactyli, si nostræ licet fidere experientiæ, exaltant. Diachylon magnum, quod Sylvio scimus, fuislè in usu, non est contemnendum, ac semper ferè à nostris Chirurgis adhibetur, quamvis virtute prædictis par non sit. Interdum tamen, quicquid egeris, frustra fueris, adeò *ineluctabilis duritiei* sunt, loquimur cum Barbeyrac, & tum omnino opus est *hydrargyrosi*. Ubi non æquè rebelles fuerunt, signis maturationis præsentibus, quamvis omnimodam rarò exspectaverimus, sine morâ eos aperiuius, experti, ex pure diutius in tumore hærenti, sinuosa & cacoethica ulcera fuisse orta. Nunquam nobis excidere passi sumus egregium monitum Mons. le Clerc *dans la Chirurgie complète* loquentis de bubonibus p. m. 220. *On les fera long temps supurer.* quod, cum non observatur, ægri certissimè in luem venereum incidunt. Semper tamen habenda ratio ulceris est, cuius consolidatio balsamicâ nostrâ mixturâ & Oppodeltoch. Paracelsi egregiè promovetur. Quantum ad interna attinet, dum in emolliendo ac suppurando bubone desudamus, ferè sola lignorum decocta, ea que minimè saturata absque regimine sudorifero suffecerunt. Purgantia jussimus esse procul; abstinuimus etiam à Venæsectione, quod his mediis suppuratio non promoteatur, sed impediatur.

In

In vulgus usque nota sunt varia tumorum pustularumque, quibus ii, qui in turpi libidinum luto voluntur, conspurcari solent, genera, iisque enarrandis minimè modò nos occupabimus. Hoc verò, cuius aliquod facere indicium animus est, sive modum eruptionis, sive figuram species, paulò rarius, ac quantum meminimus, non nisi semel à nobis visum, aptumque adeò, quod etiam solerter Medicum in errorem inducat. Fœmina, quam lue gallicâ infectam esse, aliundè constabat, non multò quadragenaria minor, temperamenti sanguinei ac cholericī, ingenii fervidioris, iracundiæ dedita, duarum prolium in conjugio mater, passionibus hystericis obnoxia, quod menses satis parcè fluerent, autumno jam adulto de graviori capitī dolore per aliquot dies conquesta, in Novembri circa quartam pomeridianam, post insignem rigorem ac horrorem in vehementem incidit æstum, qui dorsi ac capitī dolorem longè graviorem eō, qui aliquot jam abhinc diebus afflixerat, comitem habebat. Circa matutinum tempus ingenti sudore profuso & calor, & capitī cruciatus minui videbatur. Fluxit etiam dies ita, ut non haberet, de quō adeò conqueretur; sed circa vesperam, quæ pridiè afflixerant, mala, recurrebant omnia, id quod & quatuor sequentibus diebus ita contigit. Septimo die manè per

*Pustule
nereæ.*

faciem ac totum corpus copiosissimæ erumpabant pustulæ, hæ referebant figuram variolarum latiorum, & sanè non potest ovum ovo esse similius, quam maculæ istæ protuberantes prædictis variolis, modum eruptionis & maturationis si excipias. Neque enim, quod in variolis fit, pustulæ primo rubræ tenuissimarum acicularum puncturas æquantes prodibant, ac deinde in fastigium elevabantur; sed à primo eruptionis momento pustulæ nostræ eam, quam citra augmentum deinceps servarunt, magnitudinem noctæ sunt, nec instar variolarum ad maturationem & suppurationem pervenientes pus fuderunt, sed ultra tres septimanas absque ullâ formæ externæ permutatione sibi semper similes perstiterunt. In circuitu suo rubebant, in medio verò albescebant. Postquam una alterave ex his esset aperta, non purulenta materia, sed substantia quædam pinguedini porcinæ simillima deprehensa in iis fuit, absquè ullo ægræ dolore etiam asperius contrectari poterant; quæ organa obsidebant, motui dicata ingressui brachiorumque extensioni impedimentum objiciebant. Febris interea, sicut à primo initio fieri suevit, circa vespertinum tempus ingravescebat. Quicquid remediorum ordinariorum per tres & ultra hebdomadas tentaretur, quemadmodum tentata fuerunt multa, id frustra fuit, ac minimè sufficiens vel ad febrim

brim expugnandam, vel ad pustulas abigendas, donec continuato & ii dulcis cum absorbentibus & bezoardicis misti usu, ptyalismus excitaretur. Cum salivatio per 14 circiter dies debitè fuisse administrata, & febris remittebat, & pustulæ sensim evanescebant, ut præter lapsus mense nulla amplius in corpore reperiretur. At, quod ægra dolet, notabilia vestigia ac deformes (dilutè scilicet rubentes) maculas post se reliquerunt. Sparsim hisce nostris maculis pustulæ quædam squamosæ, quæ sub crustâ suâ putrilaginem quandam continebant, interjectæ erant, quibus etiam externa fuerunt applicata remedia eo eventu, ut absoluta salivatione & illæ disparuerint.

Nisi nos fallunt omnia, hoc autumno jam ad finem properanti vidimus in virō ferè quinquagenario exemplum febris quintanæ, in juvēne autem paradigma septimanæ. Uterque laboraverat ineunte autumno febri quartanâ, & uterque etiam corpore non debitè præparato præproperè per corticis peruviani usum ab eādem fuerat liberatus, si licet vocare à quartanâ febri liberum, qui quarto non tantum die adhuc vehementer languet, sed etiam reliquis insignem sentit debilitatem, & cibos fastidit. Luculentè post 12 circiter dies in unō, in alterō verò post 21 rediit paroxysmus; uterque, cum non die 4 febris horis consue-

*Febris quinta-
na & septi-
mana.*

tis rediret, se immunem fore arbitrabatur, at cum quinquagenario bis die quinto, juveni vero septimo paroxysmus rediisset, nostrum etiam consilium implorarunt. Et quantum quidem ad primum, diu luctatus mecum sum, an non sit consultius cum Vallesio in *Comment. lib. 1. Epidem p.m. 55.* quartanam tardantem appellare; in altero autem nulla erat tergiversationis causa. Neuter a nobis fuit sublevatus, sed uterque tabidus obiit, citius vero juvenis, qui septimo quoque die febricitabat, quam alter. Præmunieramus nos, quantum ad primum, Hippocratis Oraculo *lib. 1. Epidem. sect. 3.* quinta omnium pessima est; nam & ante tabem) ut in nostro contigit) & tabidis superveniens, occidit. At, quod alterum concernit effatum Hippocratis, in illo non adimplebatur, quod loco citato ita sonat: *Septimana longa est, verum non lethalis.* Multò minus istud Valesii: *I. c.: Sextanae vero aut Septimanæ, aut etiam rariores febres affligunt ut vitiapotius naturalia, quam ut morbi, atque adeò, qui illis laborant, videntur esse homines alioquin sani.* H. J. Sed tum Hippocratis, tum Valesii verba intelligenda sunt de febribus septimanis, quæ à principio hominem sanum invadunt; non de iis, quæ jam ægris & vel tertianâ, veluthic accidit, quartanâ debilitatis superveniunt, quo in casu vera est sententia Ballonii *lib. 2. Consilior. annotat. ad Consil. 51.*

p. 317, quam his verbis effert.: *Febres quintanae & septimanae tabescentium ferè sunt.* Ita intermissiones paroxysmorum consuetis diebus sine solutione febris monstri aliquid alunt; certè in quotidianis veterum, ac in catarrhalibus recentiorum, nisi febris quotidie recurrat, sed hoc illove die remaneat, non sine ratione contabescentia hectica metuitur.

Observatæ etiam sunt febres octanæ, *Febris octa-*
quarum focus ac nidus in hepate est, & fe-
rè icterum parturiunt. Vir professione, senio & di-
gnitate Venerabilis Dominus Heinricus Klos, Pri-
or Canon. Regul. Lat. S. Augustini, amicus no-
ster, dum viveret, post tres Octanæ febris paroxy-
smos in icterum incidit. Summam patiebatur
compressionem sub scrobiculo cordis, & in ipso fe-
bris ingressu anxietates maximas, ex apparente de-
inde ictero facile patebat, immanem dolorem, cui
vix describendo par erat, à constipatoriâ ac con-
tractorî partis simæ hepatis stricturâ fuisse profe-
ctum, à quâ hepatis compressione etiam derivan-
dus icterus, cum facile intelligi queat, quomodo
per ejusmodi coarctationem separatio humoris
fellei impediatur. Accessit ex eâdem causâ febris
inflammatoria vehemens cum siti, dolore capitis,
vigiliis, singultu, sed non adeò frequenti, rubore fa-
ciei, ac duritie præcordiorum dextrâ parte, quæ o-
mnia viro suptuagenario suprema imminere signi-
fica.

ficabant. Et profectò in morbo arquato, *durum fieri jecur, perniciosissimum esse*, jure optimo scribit Celsus lib. 2. c. 8. p. m. 74. Biduo ante mortem vehementer efflabat, quasi suffocationem metueret, dormituriens palpebras committere non poterat, quæ nobis in memoriam revocabant ex Coacis illud Hippocratis: *Qui vehementer efflant & reflexis sunt palpebris, ac per somnum leviter suspiciunt, aurigine admodum fædati & largius colorati, moriuntur.*

Febris hemor-
rhoidalis. Occasione febrium paulò rariorum, memoranda etiam hæmorrhoidalís, quam sibi observasse visus est D. Grassius; eam his verbis describit: *Quosdam infestabant febres hæmorrhoidales, quæ levi frigore, subsequō blando calore ægros, (ut plurimum fœminas) feroci abdominis, circa hepatis regionem, umbilicum, os sacrum, & in cruribus, dolore, cum constrictione diaphragmatis circa orificium superius stomachi, cum vel sine obstruktione alvi, excruciant. Pulsus erat durus & plenus, dolor capitis in plerisque vel planè nullus, vel admodum levis. Non cedebat his dolor alvo apertâ, nec laxantibus (clysteribus tamen aliquantisper) obediebat, sed obstinatâ duratione ad aliquot dies ejulantes ægros torquebat, singulis diebus vagos paroxysmos procreans. Vietas tamen manus porrigebat, præmissis malignitati resi-*
sten-

stentibus medicamentis, venæ sectioni in pedibus,
 & tinct. ♂t. ♀ satæ Ludov. ritè præparatæ, intermix-
 tis resolventibus, absorbentibus & osis. Quibus
 autem hæmorrhoidales fluebant venæ, breviori
 viâ morbus absolvebatur. H. J. Nos etiam cum
 hæmorrhoidibus tumentibus & dolentibus luctati
 sumus. Flores ♀is internè adhibiti, sed in dosi
 paulò majori, in iis resolvendis egregiè sese gerunt.
 Externè discussionem adjuvat, ac dolores sopit Ca-
 taplasma ex cœpis sub cineribus assatis, ac oleo ovo-
 rum recenti. In doloribus atrocibus mitigandis
 spem nostram non fefellit linimentum ex mucilagi-
 ne sem. psyll ac cydon. c. ▽ verbas*c.* extracta, ol. hy-
 osc. & vitell. ovi, quamvis folia verbas*c*i in lacte co-
 cta & calidè applicata sæpè sola nobis suffecerint.
 Interdum sumus etiam usi sequenti unguento:

R. Unguent. ad hæmorrh.

rosat. an. 3jjj

alb. camphor. 3jj.

Sacch. satur. in ol. lil. alb. solut. 3ʒ

ol. hyosc. 3ʒ

Verbas*c.*

momord. aa. 3jj. M.D. ad ficit.

Invisum familiis malum sterilitas *Sterilitas mu-*
 est, ac fervens prolis desiderium coëgit
 nonnunquam uxores, abjecto, qui sexum fœmine-
 um vehementer ornat, pudore, ad Medicos recur-
 rere, ac ea permittere, quæ verecundia vetat, ut ni-
 mirum edoceantur à Medico, utrum in sinu podo-

Dd

ris

ris quippiam lateat, quod conceptionem impedit. Atque hinc natæ variæ Medicorum observationes, & una etiam D. Pauli, quam his concepit verbis: *In duabus infæcundis mulieribus, citra ullum delectationis sensum, juxta propriam ipsarum confessionem congressum patientibus, manus meæ examini commisis, internum uteri orificium coalitum, defectumque rugarum in collo deprehendi.* H. I. Et certè jam à multis annotatum auctoribus, conceptui obicem poni, si internum uteri orificium quacunque de causâ fuerit arctius, quorū referenda sunt duo sterilitatis exempla à scirrho circa uteri orificium enato, ab Hildano *Cent. 1. observ. 65. & 66.* enarrata. Nihilominus graves patitur difficultates hæc sententia, eò quod à præclarissimis Medicis observatum, per solum penis ad muliebria clausa affrictum, ac externam seminis adspersionem mulieres nonnunquam concepisse, & hodie communi eruditorum suffragio comprobatum sit, non opus esse, ut crassior seminis pars ad ipsam uteri cavitatem pertingat, sed sufficere, si genitales spiritus, qui per exiguum etiam porum facile possunt penetrare, ad illum diffundantur, prout nuperrimè quoque inculcatum à Celeberr. Joh. Wilh. Pauli Professore Lipsiensi, inter præcipuos Germaniæ Anatomicos non immerito numerando, in doctissimâ Dissertacione *de nutritione naturali, ac præternaturali, potis-*

simum auctâ & abolitâ. Absentia plicarum, si quicquam ad frustrationem conceptus confert, non aliò modô concurrere potest, quam hōc, quod vagina plicis his destituta, non tam arctè penem virilem complectatur, & semen effusum non benè suscipiat, sed facilius elabi sinat, cum strictior vaginæ uteri ad membrum virile applicatio, judice Graafio *de Organ. mulier:* seminis susceptionem ac retentionem multum adjuvet. Cæterum multò frequentiores apud nos sterilitatis causæ sunt plethora in otiosis lauteque viventibus fœminis, & morbi uterini varii, præcipue vero fluxus albus, commune multarum flagellum, quandò recrementitii corporis humores per vasa in uterus hiantia in cavitatem ejus, non in vaginam deplunt.

Vidimus hoc tempore, quemadmo, *Pneumatosis.* dum etiam alias subinde contigit, fœminam in secundo senis thoro viventem, pnevmatosi laborantem. Huic menstrua substiterant, venter circa uteri regionem in tumorem fuerat elevatus, mammæ tursescebant, & alia aderant, quæ falsam veræ imprægnationis speciem ei impresserant, sed se delusam cognovit, ubi loco foetus flatus, subsidente mox ventris mole, sine ullis adhibitis remediis exclusit. Sicubi medicamentis opus fuit, contra illud malum certavimus pilulis ex massa pilul. fœ-

tid. Gumm. Galban. c. + solut, & paucis gr. scammonii cum Elix. bals. Lang. par. Tragæâ ex specieb. diagalang. diaspolit. Galen. & saccharo, ut & fotu ex herb. thym. calamenth. abrotan. rut. puleg. flor. chamom. sem. lini, fœnugr. aneth. cumin. bacc. laur. &c. ¶ rea verò remedia prudenter adhibita omnium optima fuere deprehensa.

Hydrops uteri. Rarius uteri verus hydrops vanâ graviditatis spe decipit mulieres, nisi prorsus simplices, nam paulò sagaciores, & quæ vel semel tantum gestarunt uterum, ex sonitu fluctuantis aquæ, cum de latere in latus volvuntur, insolito versus pubem pondere, dyspnœâ, gravitate in ambulando &c. convincuntur, minimè sese esse prægnantes. At judicium multò est difficilius, quandò hydrops uteri cum fœtu conjungitur; quamvis id solatio miseris esse debet, quod per partum uterus & à fœtu & diluviō aquarum, sive in uteri cavitate, sive in vasis illius contineantur, feliciter libe-
retur. Enim verò hic labor, hoc opus est, exactè definire, ubi vitium hæret, si post partum tumor abdominalis remanserit. Tractavimus ingentem ejusmodi tumorem circularem, qui copiosissimis sudoribus in laconico fuit ex voto discussus. Credebamus esse hydropem peritonæi, nam cum in sensus incurrat, tempore graviditatis & musculos abdominalis, & peritonæum, mirum in modum ab
utero

utero dilatato distendi, admodum probabile est, eō ipsō lymphatica peritonæi vasa vehementer interdum comprimi, ac hāc coarctatione motui lymphæ remoram injici, quod, cum contingit, necesse esse videtur, ut hydatides formentur, sed dum partium ambientium renitentia debitum illis spatiis non indulget, quid mirum est, si illæ ruptæ intra peritonæi duplicaturam lymphaticum latitatem exonerent, atque hanc hydropis speciem excitant? si quando verò post partum inæqualis abdominis tumor sese conspiciendum ac contrectandum præbeat, uti evenit nobilissimæ matronæ, postquam ultimum filium esset enixa, quæ in dextro latere grandi onerabatur distensione, de origine ejus medentes in diversas abeunt partes, quemadmodum hīc etiam factum. Alii molam in utero retentam accusabant, alii hydropem ovarii, alii tubæ Fallopianæ subesse suspicabantur; nos, quibus vix spiritum dicens mater ad lectum puerperæ filiæ ærumnosum statum exposuerat, vitio viscerum in abdomine, & præcipue ab hepate non rectè constituto hydropem ortum esse credebamus. Falsitatem sententiæ de præsentia molæ spontanea ex pedibus aquarum effusio, ac hinc secuta detumescentia abdominis facile probabat, ut & insignis utilitas ex usu Electuarii hydrogogi, notum illud Sylvii ejusdem nominis, efficaciâ

multum superantis, ad illam post copiosas dejectiones aquosas rediens. Aliorum lites de parte affectâ diremit post mortem judex culter anatomicus; nam ut testatur D. Pauli, *prægrandis vesicula felis aliquot lapillis grava, hepatisque lobum protrudens oculis subjecta*, uti sonant ipsissima ejus verba.

*Prima species
morbi ab Hip-
pocrate Cras-
si appellat.*

Vivit apud nos quinquagenario major, cholericae constitutionis, qui & hoc autumno, & posthac aliquoties, ac nuper admodum sequenti morbo oppressus est. Primò quidem queritur de obtuso in abdomen dolore, postmodum dolores sursum deorsumque lati obmurmurant, crederes solos esse flatu. His molestiis, ubi per aliquot dies exagitatus est, corrigit eum rigor & febris, quæ cum vehementia continentis dolore capit is conjuncta est. Illa quando parumper remittit, exsurgunt dolores circa hypochondria, succedit vomitus, aut conatus vomendi, quasi ventriculus cruditate laboraret. Os salso aut amarō sapore est infectum; deinceps afflit aliqua respirationis difficultas, tracto ab hypochondriis in sympathiam diaphragmate. Brevi post exoritur dolor circa costas tam acerbus, ut tactum digitii ferre nequeat; describit illum verò ut morsus sensum partibus inferentem, interdum etiam ut ulcerosum. Dolori jungitur rubedo erysipelacea circa costas; sed dubium non est, quin spinales nervi

nervi quodammodo compatiantur, eò quod doloris sensus usque ad dorsi spinam diffundatur. Enim verò nec his circumscribitur limitibus; nam ardor ac dolor ad anum, quasi æger hæmorrhoidibus cæcis, & ad vesicam, quasi calculo laboraret, pertingit. Interea frigent pedes & extima. Evanscente rubore & dolore circa costas cutis capitis durior erat instar corticis intenseque in cervice rubeiscebat. Morbus à nobis descriptus modò remissior, modò verò vehementior erat, nec bezoardicis, diapnoicis, diluentibus ferè per mensem superari potuit. A purgantibus lenioribus iterato exhibitis, gelatinosis ac lacte mite scere nobis visus est, non penitus verò tolli. Nisi nos omnia fallunt, cum symptomata ex amussim respondeant, ægritudinem hanc jam olim accurate descripsit Hippocrates libro magno de morb. intern. text. 48, ejusque originem petuit à bile & pituita mista per corpus diffluenti in ventrem, ac à solis calore & aqua potu; quæ tamen causa an in nostro locum habeat, dubii hæremus, quamvis corpus ægri nostri sensu Hippocratico biliosum vocari posse, minimè ambigamus, & cuivis in civitate notum, quod ab æstu solis sæpè incaluerit. Refert Hippocrates hunc morbum inter παχέα νοσήματα, hoc est: *Crassos morbos*, quorum quatuor enumerat, complexus verò hoc nomine, ut evidens est ex contextu, *incrementum*

rum totius corporis, vel partis in molem ex multa humorum pravitate impactorum parti, vel diffusorum per universum corpus, ac non meminimus, ab ullo recentiorum primam hanc ejus speciem, cuius symptomata ab Hippocrate memorata in corpore suo spectanda æger noster nobis exhibuit, fuisse descriptam. Faxint autem superi, ne in illo even-
tum sortiatur istud Hippocratis, quô descriptioni νοσήματος colophonem imponit : *Hic si curetur sex annorum spatio, satis est, sin minus, remanet usq; ad decem annos, multis etiam & commoritnr.* H. J.
Jam sunt septem præterlapsi anni, nec tamen ad hoc usque momentum ab illa ex toto sublevari potuit afflictione, ac in ultimâ morbi exacerbatione sudor multus & foetidus, quô dormiens diffuebat, quemque Hippocrates signis sinistri ominis annumerare videtur, nos vehementer terrebat; nihilominus tamen, utcunque refocillatus muneribus suis denuò incumbit. Miraberis forsan, nos purgantia ausos esse propinare huic, dum erysipelaceo rubore corpus esset tintum, ac ipsimet novimus, ea cum exitio ægrorum in erysipelate fuisse data. Scias tamen velim, nos filum doctrinæ Hippocraticæ præsenti inflammatione externâ, quantum ad purgantia, semper fuisse secutos tanquam cynosuram & regulam, atque à purgantibus non abhorruisse, quando urinæ crassæ ac nebulosæ fuerunt,

runt, ut h̄c contigit, si verò tenues & crudæ essent, ista cane pejus & angve à nobis esse vitata. Didicimus hoc jam olim ex optimo Hippocratis Interpretate Prospero Martiano *in sect. 4. de ratione victus acutor. p. m. 387.* nec in erysipelate capitis infelicitè cessit. Certè D. Preus viduæ erysipelate capitis vesiculofo cum æstu febrili laboranti, præmissis præcipitantibus, nitratis potiunculam blandè laxantem, & noctu anodynum porrexit, unde non solum caput detumuit, sed mulier etiam ex voto convaluit. Non aliter cum V.S. comparatum est, nos ferè semper in erysipelate quovis, præcipue verò capitis omittendam esse censuimus, nec animus est, ejus utilitatem in illo aliis commendare, & tamen diffiteri non audemus, etiam serenissimo cuidam Principi, quem nostris consiliis pro virili in hoc morbo adjuvimus, sine ullo damno sanguinem fuisse detractum. Pariter solutione lithargyrii argent. ceruss. & camphor. in ∇ solan. nymph. lactuc. & acet. erysipelas illinere multi trepidarent. Ettamen prælaudatus ante Collega noster erysipeli femoris dextri optimo cum successu solutionem hanc, quam vulgò lac Virgin. dicimus, calidè aliquoties in juvenculā applicavit. Sed hæc obiter.

Ingluvie fructuum fœminæ & puellæ
quædam in Cachexiam & Chlorosin in-
ciderant. Præmissis salibus digestivis,

*Chlorosis & Ca-
chexia mulie-
rum.*

Ee eva-

evacuantibus mitioribus, infusis laxantibus, interpositis sudoriferis, medelam inveniebant in iis, quibus lymphæ anteà in poris stagnanti, jam verò liberiorem motum adeptæ, balsamus restituebatur, hoc est, in *sulphureis & aromaticis*, e.g. pulv. stomach. Birckmann. Tinct. corall. Elix. propriet. balsam. Elix. vit. &c. & *tonicis* v. g. pulv. cachect. Querc. cum stomachico ejusd. additis oleosis & aromaticis ac martialibus, scilicet Tinct. & tis variis cydoniatâ, pomata, & satâ, ac limatura martis. Ab anticachecticorum usu, ne præsenti quidem febri destitimus, edocti, cachexiæ magis, quæ febrim fovet, quam ipsi febri tali in casu esse occurrentum. Præclara sunt celeberrimi Brunneri medicamenta, quæ paucis quibusdam eximiè profuisse novimus.

R. Extract. cathol. vel

Mass. pilul. Schröed.

de gummm. & co aaq. f.

& dul. rite parat. gr. vij.

Trochisc. alhand. gr. j. c. f. q. Elix.

Propr. f. pil.

His præmissis tertio & seqq. diebus adhibetur pulvis viperarum in juscule caponum. Postmodum pilulæ seqv. ordinatæ sunt:

R. extract. cardui bened.

ab synth.

cent. min.

croc. or.

Gumm.

Gumm. Hci aa. 3*ʒ*

Croc. ♂ f. aperit. usque ad 3*ʒ*

c. f. q. Elix. Prop. P. f. ac. vel. aperitiv. Glauber. f. l. a. pilul. ex 3*j.* no. XXX. Ex his quinque primo, secundo 7. tertio autem die 9 duabus ante prandium & cœnam horis in vino accipiuntur, id quod per integros 40 dies adhuc faciendum. Beccheri pilulas multi credunt his efficaciores, hoc tamen certum est, quod continuatio per tantum temporis intervallum non sit necessaria. Post prandium cochlear unum essentiae amaræ capiendum est:

R. rad. galang.

Zedoar.

calam. arom.

croc. orient. an. 3*j.*

cinam. acut. 3*jj.*

myrrh. rub. 3*j.*

aloës succotr. 3*vj*

Theriac. Andr. 3*jjj.*

Incis. & contusis affunde Δ juniperi ad trium vel 4 digitorum eminentiam, diger. per octid. Colat. serv. Curæ coronis imponitur per alcohol limat. ♂t. At dolendum, quod à plerisque nostrarum frustra tam longam sibi quisquam in adhibendis medicamentis patientiam possit polliceri. Paucissimæ sunt, & vix totidem, quot divitis ostia Nili, quæ non curam tanto temporis intervallo demum absolvendam horreant.

Sub finem hujus anni pessimè valebant senes. Quamvis verò omnia illa senectutis incommoda,

quæ Celsus lib. 2. c. 1. facundè recenset, *nocturnæ*, inquam, *vigiliae*, *vitia longiora aurium*, *oculorum*, *etiam narium*, *principueque soluta alvus*, & quæ sequuntur hanc, *tormina*, *vel levitas intestinorum*, *catera que fusi ventris mala hos illos premerent.*

*Senum asth-
ma* Plures tamen spirandi difficultas, strangu-
guriæ ac dysuriæ doloresque articulorum
aut gravissimis exercebant molestiis, aut iis le-
thales erant. Quantum attinet difficiliorem
spiritum senum, haud inficiari possumus, quod
in quibusdam non ab affecto pulmone, atque
ibidem hærentibus crassis succis proficiscatur,
sed potius ab impotentiâ thoracis, diaphra-
gmatis & muscularum intercostalium pendeat,
quod pro sagacitate ingenii sui jam Plato in Ti-
mæo agnovit. Notum enim est ex Physiolo-
giâ, quod pulmones motum thoracis sequantur,
ac cum eo dilatati aëri pondere suo irruenti spa-
tium & aditum concedant, à lateribus vero prædi-
cti thoracis compressi, aërem expellant. Notum
& illud est, quod motus thoracis à motu musculo-
rum & diaphragmatis pendeat, quâ de re legi me-
retur Progymnasma quintum Celeberr. Bohnii in
Circulo Anatomico-Physiolog. Hinc verò fluit,
quod, quando fibrarum muscularium, ut in seni-
bus fit robure langvit, externi aëris pectori & abdo-
mini incumbentis pressioni vires suas musculi jun-
gere

gere nequeant; hoc verò dum fit, respirationis negotium in iis sufflaminari necesse est, quod pulmones nec debitè explicitur, nec comprimantur, ut par est. Enimverò in plerisque senibus hoc tempore respirationis difficultas ex infarctu pulmonum ac lento viscofoqué phlegmate in bronchiis stagnante ortum trahebat, nam ad humidum inclinans per æstatem & autumnum aëris constitutio multis supervacuis humoribus in partibus laxioribus onerarat seniō debilitatos, quos frigidior aura insensibilem per poros transpirationem, ac noxiorum humorum exclusionem turbans auxerat. Apud plerosque istos senes etiam frequentia, vi-cesque insensibilis per pulmones transpirationis diminutæ explentia sputamina, ob quæ, judice Sanctorio in *Med. static.* vitam illi protrahunt, desierant. Profuit egregiè Decoctum ex rad. helenii condita & aquis pectoralibus paratum, calideque in magna quantitate haustum. Tinctura asthmaticā, quæ in Pharmac. Bateanā describitur, cum emolumento utebatur non nemo, sed cochleatim mane & vesperi. Inter ingredientia rad. helenii, iridis, fol. senn. el. non postrema sunt Gummi & cum ac ex eō parata e. g. ~ asthmatis. seu viridis aëris composit. D. M. ΘΑL oleol. & cale &c. ex parte miseros sublevârunt. Nec essentia Tabaci cum judicio adhibita spernendæ est utilitatis. Usi verò sumus sequenti:

B. sol. peti patum siccati q. v.

probe irrig. cum Ω . Θ xi vinos.

stent in locô calidô per aliquot dies, posteâ fortiter expressis affunditur spiritûs pectoralis vel aromati ci pro lubitu q. s. servaturque in digestione per octiduum &c. Sed tamen fatendum est, omnia hæc non sufficere, nisi horis matutinis lenis exspectetur sudor. Itaque alte memoriæ impressum esse debet illud clariss. Listeri: senex unicè *perspirabili promovendo incumbat, si vitam diu prolongare sanus velit.*

*Senum stran-
guria &c.*

In aliis senibus cùm perspiratio eadem non expeditum haberet exitum, superflui humores ad vias urinarias declinabant; hinc in quibusdam urinæ exitus ob ductus viscosis humoribus obstructos præcludebatur; in aliis serum urinarium acrius admistione septicorum humorum redditum, mictui non levem adferebat molestiam; in aliis calculi & arenæ gravando, ac vellicando sphincterem musculum excruciant. His incommodis tantò gravius exagitabantur, quò ob majorem senilis ætatis imbecillitatem vesicæ corpus ad propulsionem contentorum minùs erat aptum. Multò minorem hi ex remediis consequuntur utilitatem, quàm priores, nisi amplectenter eum vivendi morem, qui transpirationi promovendæ magis favet. Opobalsami genuini virtus præ cæteris omnibus remediis laudem meretur.

In-

Inexorabile fatum urgebat quosdam arthriticos senes, quos inter fuere, qui verba illa sancti Gregorii, qui non tantum dignitate, sed eruditione ac pietate Magni nomen adeptus est, sibi antehac *ex lib. 7. Epist. 129. col. 311.* applicare potuerant: *Ecce, jam undecim menses sunt, quod valde rarum est, si delecto surgere aliquando potuero.* Tantis enim podagræ, tantisque molestiarum doloribus premor, ut vita mea mihi gravissima pœna sit. *Quotidiè enim dolore deficio, & mortis remedium exspectando suspiro:* tum ista *ex lib. 8. Epist. 35. col. 329.* jam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, missarumque solemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. *Qui dolor interdum mihi latus est, interdum nimius, sed neque ita latus, ut recedat, neque ita nimius, ut interficiat.* Unde fit, ut qui quotidiè in morte sum, quotidiè repellar à morte. Hæc, inquam, verba per aliquot annos adhiberi ab iis potuissent, sed hoc auctumno immanes dolores ita crevère, ut cruciatibus confecti placide exspirarint. Dico placidè: nam plerosque aliquo ante mortem tempore dolores deserunt, langvore solo, eoque summô superstite. Itaque

*Senum dolores
arthritici.*

que hoc anno apud nos Hippocratis *Aphorismus*
18. ex sect. 3. Æstate & autumno aliquantisper senes
optime degunt: locum non habuit, sed potius 39. ex
sect. 2. Senes magna ex parte minus, quam juvenes
agrotant, quicunque autem ipsis longi morbi accide-
rint, sàpè ad mortem comitantur. Ferè autem pol-
licem premimus Celeberr. Tozzio, persuaso, eos
dem humores, qui in senibus in viis urinariis ægri-
tudines excitant, parere arthritides si in artus defe-
rantur, neque in eo recedimus ab ipso, quod iisdem
penè medicamentorum generibus pathemata hæc
arthritica curari debere arbitretur, quibus succurri-
mus senibus in lësâ ac depravatâ urinæ excretione.

Constitutum nobis erat huic nostræ Historiæ
intexere specialissimas de morbis ex cerevisiâ &
vino ortis observationes. Communis enim quere-
la est, apud nos cerevisiæ vegetabilia quædam addi
& in dolium suspendi, quæ non omnibus conve-
niant, sed potius has illas ægritudines excitent. ori-
ganum vulgare jam olim recenti cerevisiæ, ne a-
cesceret, fuisse infusum, ex Clariss. Schwenckfeld *Ca-*
talog. Stirpium & fossilium Silesia intelligere licet. De
rore marino sylvestri res est longè notissima. Alia
accusationum capita hâc jam vice non attingam;
ne illud quidem, quod nimis exigua lupuli pars
cerevisiæ nostræ, si plebejos audias, incoquatur.
Conringius nostram cerevisiam laudandam po-
tius

tius fuisse credidisset, nam eō autore lib. *de habit. corporum German.* causis, recentiore demum invento lupulus *accessit acceleranda ebrietati, acuendo sapore* & *in diurnitatem quidem cum nutritionis tamen detimento haud exiguō.* Et verò cerevisiam, quæ à lupulo amaricat, minus dulcioribus nutrire, docet usus. H. I. p. m. 79. Multi etiam vehementer declamant in Oenopolas, ac sunt, qui in hos quadrare ajunt, quod legitur in aureo libello Adriani Turnebi *de vino*, sub finem: *alius gypso, alius calce, alius sulphure, aliis marmore, aliis aqua marina, aliis jumentorum stercore, ut honos prefandus sit, saporem vini non tam excitat, quam vitiat, aliis resina corrumpt ad capitis vertigines efficaci, ut ex eo nomen crapula ipsa meruerit, aliis aliis mangoniis, quæ recensere longum foret.* Quō ipso sine dubio gravissimè peccant, & judice Erasmo in *exornologesi Tom. 5. oper. p. 137.* non solum suffurantur rem hominis, verū etiam vehementer ledunt valetudinem, nec multum absunt à veneficio. Quot enim morbos, quot mortes experimur ex vitiatis vini inter homines nasci? In his recensendis non occupabimur, nam, ut verum fateamur, illa, quæ visi nobis sumus observasse, nondum animo sufficiente nostro, eaque uberioris experientiæ fide confirmanda esse credimus. Quid de fœdo vini etiam non corrupti abusu dicemus? Certè quasi ex tripode profecta sunt aurea

illa Patini verba in quæstione medicâ de sobrietate: *Qui paucovino utitur, eoque dilutissimo, ille vitam suam amat, & infinitis se ipsum beat commodis, ex ejus abusu maximorum morborum ilias profluit.*

- - - *Vinum dubius est amicus & anceps Proteus, bonum præsens exiguum, malum emergens gravissimum; Vitam facit alacriorem ac vegetiorem, sed breviorem, idemque prestat corpori, quod calx ad arboris radicem conspersa, fructum quidem accelerat, arborem autem perimit, ita vinum suscitato calore spiritus facultatesque erigit, mortem vero maturat, dum infinitos affectus invenit, nullâ ferè Herculis clava debellandos: Apoplexiam &c.* Aliûs etiam seu otii, seu laboris res erit designare statum Medicinæ, qualis apud nos est, & passim tritas ad Medicæ felicitatis apicem numerosam, inquam, Praxin grassandi vias. DEUS modò à celeberrimâ hâc Civitate jubeat in perpetuum abesse, qui cum Medicis Hibernis, teste Richardo Stanihursto Dublinensi de reb. in Hibernia gestis lib. I. p. m. 44. inanes esse confirmant hominum conatus in hoc exquo vita curriculo Medicorum sese libris involvere, quorum lectio est adeò infinita, ut prius moriendo naturæ, quam curatione agrotis Medicinæ studiosus satisficiat. Colophonem imponimus opusculo toties interrumpo, dupli Anatome, quarum unam in infante absque membris sexum distingventibus nato celebra-

bravimus ipsimet, alteram verò Georgius Tompsonus, in adolescentie ex peste mortuo, & hanc tanto quidem magis, quod periculum ex Peste nondum cessaverit apud nos, & *experimenta admiranda*, in quibus p. 21. seqq. continetur, in paucissimum Doctorum armariis contineantur. Priorem huc transferemus ex *Novis Literariis German.*
A.1704.p.48 & seqq. quamvis integro anno posteriorem.

In pago Gabiz vix paucis stadiis à Vratislaviâ distante, (qui plurimum Reverend. Dnn. Canonis Regular. Lateran. Ord. St. August. paret) A.1703. d. 25. Novemb. natus est plebejis parentibus infans, de quô adhibere posses illa Haly alicujus verba apud Schenck. l. 4. Obs. p. 573. *Vidi, qui natus est, & non habebat neque vulvam, neque priapum, neque testiculos &c.* de cuius sexu, utpote qui, ut diximus, membris genitalibus destitueretur, merito dubitatum. Ut itaque ei nomen in baptismo conveniens imponi posset, ex voluntate Reverendissimi Domini Prælati Johannis mea hâc de re sententia fuit perquisita. Suasit casûs raritas, ut DDos Collegas meos, ad inspectionem invitarem, qui etiam pro suâ in me benevolentia in ædibus meis comparuere. Sollicitè contemplati sumus infantem, & deprehendimus, quòd, quantum ad magnitudinem, figuram, nitoremque membrorum su-

premæ regionis ac thoracis, nihil quicquam ei de-
esset, nisi quod in hâc nullum papularum vestigi-
um inveniretur. In abdomen protuberabat um-
bilicus ad ovi ferè magnitudinem, ut etiam nobis
de herniâ umbilicali suspicio nasceretur. In pro-
minentia illâ conspicuus erat livor, qui gangræ-
nam minitari videbatur. Supra os pubis cerne-
bantur orificia duorum ductuum, ex quibus, eju-
lante aut etiam vehementius respirante infante,
quando necessitas urgebat, feces excidebant, & uri-
na effluebat. Ex dextro illo hiatu magis urinam,
ex sinistro verò feces alvinas prodiisse obstetrix
cum domesticis narrabat. Sinister ille ductus sti-
lo exploratus est, eumque promptè ferè ad longi-
tudinem indicis digiti admittebat, dexter autem
brevior erat. Foramina hæc duomusculofo inte-
gumento vestiebantur, & ab uno ad alterum ē
transverso patebat stilo aditus. Si unquam, certè
in hoc exemplo patuit, quantum respiratio mo-
mentum ad promovendas feces conferat. In in-
fimo ventre, intra ossis pubis & ani regionem, ex
quâ alias in viris extra abdomen scrotum propen-
dere solet, bursa quædam ad modum scroti con-
formata prominebat. Anus planè aberat, sive,
ut cum Horatio loquamur, *non hiabat turpis inter
aridas nates podex.* Præterea torto erat pede alte-
ro, similis, si vixisset, futurus Democidi, de quo Plu-
tar-

tarchus in Laconicis. In dubiâ hâc de sexus hujus infantis quæstione, quæ inspectione prorsus decidi non poterat, placuit, ut nomen Germanicum Gottlieb ei inderetur. Post octiduum, die dominicâ, iterum hic infans, qui nunquam ubera sollicitavit, (solo pane aquâ macerato, & linteo involuto, vitam ei sustentante) denatus est, & sequente die Martis d. 4. Decembr. cadaver anatomicæ Collegii nostri inspectioni, præsentibus Plur. Reverendo *Dn. Joh. Cramer*, Canon. Regul. & illustri Viro Domino *a Conrad*, Canonicorum Regul. Cancellario & Consiliario &c. aliisque patuit. Sacculus ille extra abdomen propendens, humorem urinæ similem ad 4. vel 5. circiter cochlearia, cœcis ductibus in illam cavitatem effusum continebat; alias nullum planè signum testiculorum præstò erat. Nec minus caute fuit secta illa protuberantia umbilicalis, in quâ portio intestini colil latebat. In hoc ipso, præter eum, quem in nominatâ modò bursâ scroto analogâ humorem offendimus, etiam excrementa ejus generis, qualia deinceps in intestinis, spectabantur. Huic prominentiæ subtensum erat peritonæum, nec ullo vase, aut ductu, aut processu pertusum. Aperto abdome admirati sumus raram intestini coli constitutionem. Notum est, quod intestinum hoc principium habeat à cœco, ac primo quidem reni dextro membra

branca connexione appendatur, deinde vero anfractuoso ductu sub fimbria hepatis, & sub vesicula fellea ventriculi fundum perreptet, ac inferiorem lienis marginem contingat, eidemque annexatur, istinc vero descendat ad os ilii, a quo per sinistrum inguen pelvim petit. Nec secus hactenus res erat in hoc infante comparata: at quia vesica nulla prorsus aderat, hinc fundum ejus, quod ordinario fit, utrinque amplecti non poterat. Tametsi vero sursum denuo per ingvem dextrum ascenderet, non sinistrorum tamen recurrebat, neque inter ileon & spinam dorsi sese immergebat, multo minus supremam ossis sacri partem attingebat, sed valide ossi pubis alligabatur, ac ex eo propendebat, ac hinc versus umbilicalem illam prominentiā revolvebatur, quam, ubi attigisset, rupturam fuerat passum. Hinc autem per ductum sinistrum, sub integumentis excurrentem usque ad foramina superius descripta, cuius cum prominentiā illā umbilicali connexionem autopsia demonstravit, feces viā satis angustā amandabantur. Intestinum rectum prorsus aberat. Cum curā etiam indagavimus, an vel uterus, vel aliquod ei proportione respondens alicubi lateret, sed frustra eramus. Præterea in infima abdominis cavitate, ut diximus, vesica desiderabatur. Ethæc vesicæ absentia causa erat, cur oculos converteremus ad renes,

nes, in quibus tamen nihil præter naturam constitutum inveniebamus. Ureteres ē concavâ renūm parte protendebantur, & in appendices cartilaginosas utrinque desinebant. Atque ita satis manifestum est, quod ordinariò urinam excipiendi ac ad pyriforme vesicæ vas deferendi ministerio in hoc subjecto non fuerint defuncti. Hæc via, cum naturæ quasi præclusa esset, illa sibi invigilans, serum excrementitium ad intestina derivavit, in quibus humor urinæ formis fecibus mistus fuit comprehensus. Cæteræ abdominis ac thoracis partes optimè erant constitutæ. Lustratis infantis extis, matrem adire placuit: sed nihil quicquam ex ejus ad interrogata responsis extundi potuit, unde causa vitiosæ conformatiōnis cum aliqua verisimilitudine colligeretur.

Tompsoni Anatomia Adolescentis ex peste mortui Anno Domini 1665. Urbis Londini usque adeò luētuosissimo multa millia capitum singula quaque hebdomada demetente furibunda Epidemia, Augusti circiter nonas, Dnum *Guilielnum Pick*, Cornufabrum vici *Pettecaot* Incolam, ad *Adami & Eva* insigne, habitu Athletico dotatum, ab infectionis sagitta permiserè sauciatum invisi. Iste post fastidiosæ Pharmacorum farraginis sumptionem à Dogmatico pro deplorato depositus, artis chymicæ præpollenti virtute,

adspic-

adspirante divino Numine, restitutus fuit. Per idem tempus famulus ejus annos 15. natus malo epidemicō cum maculis nigris (indubio mortis indicio) per universam cutim diffusis aliisque horridis phœnomenis stipato laborabat, quæ adolescentis vitam citò finiebant. Hæc data eucæria, patientem jam convalescentem rogabam, ut servi defuncti interiora detegendi licentiam in scientiæ Iatricæ proiectum, generis humani charitatem, scepticorumque satisfactionem mihi concederet. Cum rationibus convictus annuit, non sine benignazelotypiâ, ne hac curiositate insolita vitæ meæ damnum incurrerem. Demum impetrato, quod ab aliis crebro negatum fuit; operi meipsum accingo, ¶ in catino tusco sub cadavere in Areola sub dio locato, accenso, nonnulla dissectioni accommodata, suppeditante patris familias conductitio, sublato loculi operimento, ac linteo cadaverali amoto; Maculas atras instar lyncis ubique in superficie dispersas solito numerosiores, ac graviores maximo cum suspectu contemplabar. Quorum aliquot apertis materia congelata sese ostendebat. In Peritonæo perforato Ichoris, lutei, virulenti, viridisque pallecentis portiuncula fluctuabat. Intestinis flatu venenosō distentis scoriæ olidæ copia continebatur; ast præter vulgarem sententiam in convexo à notis nigris immunia, in concavo vero stigma-

stigmata obscura prægandia a liquamine tabido
inusto comparebant. A Vena Porta, nec non Ar-
teria Cœliaca, separatis, serosus solus liquor efflu-
bat, nequicquam rubicundus, sed intus residebat
substantia opaca valde concreta. Jecoris Parenchy-
ma scissum pallescebat, excrementum subflavum
plorans. Lien divisum serum liquidum inusita-
tum emisit. Renes aqua citrina scatebant exan-
gui, prout cætera viscera. Deinceps in stoma-
cho patefacto succus veluti atramentum scripto-
rium, tenax, niger, usque ad Oinopintæ modum
comprehendebatur. Hujus membrana erat deco-
lor sed non pertusa, ceu Helmontius in re tali tradit,
ac si causticum potentiale applicatum fuisset. Post-
ea a regione infima ad mediā ascendimus, ubi ster-
no a Mediastino divulso, Pulmonis, in partes ex-
timas, squalidè stigmata tumefacta conspiciuntur,
alicujus continuitate partium soluta, sanies putida,
luridusque Ichor Σορεωδης, ἄναιμος amanabant,
vasis magnis perfectis sanguinis aliquantulum flu-
xum expectavi; sed aliter res habuit, nil certe nisi li-
quoris tenuis depravati paucula cochlearia ab exi-
guo sudario expedite absorbenda evadebant, ubi
intus Thrombi secundum longitudinem extrahen-
di reperiebantur; Post Pericardii aqua fulva reple-
ti disjunctionem dextrum cordis finum scalpello
penetravi: unde digitis apprehendens materiam

candidam coactam, leniter eduxi; pertractans, animoque strictè revolvens cui assimularetur, in momento, ne quidvis Parilius eidem respondere videbatur, quam testiculus agni bipartitus, servi spectatoris arbitrio assentiente. Cæterum hujus substantiæ albæ (obscure rubentis vice) in hoc loco rarissime repertæ, rationem (sub enuntioris judicij pace) a temeraria imprudentique nutrice Adolescenti haud pridem ante obitum illius meri lactis haustum obtrusi dentes, deducenti licet; quod è Stomacho raptum in hac extrema exigentia; per vasalactea, vel alios ductus pro vitæ sustentatione, aliquantilla in cordis cavitatem transmittitur, ubi nullam vel pauxillam alterationem τῆς ἄρματος ποιήσῃ in defectu, subjiciens, in hoc ens glandulosum, fermenti materialis transsumatur. Succum fuliginosum atrum, cerbero dignum, pro candido in ventriculo protopeptico, Agninemque albam materiam pro cruento subnigro in cordis sinu reponi vix auditum est. Hoc hysteron proteron fermentum deleterium, quod in tubis Hæmaticis mirifice contextis, Nectar solare penè totum, vel coagulaverit, vel colliquaverit, ita ut ne sanguinis cochleare, sine labe in hac carne morticina reperiri possit. Finita evisceratione, mox rigiditatem, quasi toporem quandam in manu sinistra, cadaveris Tabæ 10 vel 12 horas vita orbati tepido, madefacta

sen-

sensi; quam emundatam, supra $\frac{4}{5}$ ris igniti gas aliquantis per detinui, sed incassum: nam serius ejicitur, quam non admittitur hospes. Quippe corpuscula illa subtilia vafra, in manum cutis poris ab ambiente tepore apertis, Archeo tergiversante, deinde morbo succumbente, ac quidem ad animæ regiam conducente prompte eriperant. Qui Spiritus Ideâ Morbi informatus, ut primùm se eodem vestivisset, venenum pestilentiale, in suam perniciem, Tragoëdiam acturus erat. Jamjam Pestem circumfero, aliquandiu silentem malignitatem, per omnia membra dispandentem: dum interim visito, ab aliisque visitor. Opem, quâ ipse indigeo, aliis administrans, plus de aliorum quâm propriâ vitâ solicitus. Sic huc æquè illuc obambulo, dum hoc virus membra depascitur. Bene edi, bibi, sermocinatus sum, dormivi usque ad horam secundam diei subsequentis Saturni matutinam. Quando exergefactus, recolligensque quid postridie fecissem, parem in femoribus ac Tibiis stuporem, quem antea in manu percepi, mihi invito ante oculos stigmatibus nigris assidue obversantibus: sine mora servum inclamitavi, jussique, ut Pharmacæ præstantiora, juxta Epigraphen confessim porrigeret, interminatus illi, ne a nostra mistura diviaret, nec angusta quantitate eadem mihi propinquaret, quibus sedulo observatis, quintuplam supra quosvis sub tutela nostra positos mensuram

absorpsi: abunde nempe cognovi quod Hippocrates suggerit ἐστὶ τὰ ἔσχατα νοεῖματα αἱ ἔχα δὲ θεραπεῖαι ἐστὶ ἀνεισέντην οὐδάτισαι. Analogia inter morbum & remedium ab Auxiliatore fido solicite, ac mature attendi debet. Quem ritum si per duas horulas neglexissem in dubium vocatur, utrum a quovis in rerum natura sanabilis essem? tanta erat hujus lucis magnitudo, atrocitas, actionique celeritas, nullas inducias admittentes.

Etenim somno solutus in ventriculi ore intollerabilem prægravationem, angustiam, conquassationem, in capite vertiginem, tamque repentinam defectionem sustinui; ut robur mihi vix suppeteret, ad tyronem faciendis admonendum. Quin etiam ubi ante hæc a 3 vel 4 unciarum spirituosi liquoris sumptione, sudor actutum eruperit, jam plus quam de eo ad calorem in inferioribus conciliandum sufficeret. Adde quod maculæ per cutim dispalatæ, plane denotabant sanguinem ad πήξιν festinare, inter quas una colore livido pisi grandioris dimidiati planitiem æquans, in cubiti flexura eminebat, circa quam obstantibus amicis non parum intentus fui: Jam tandem post inquietudines, luctamina, multivariasque agonias, mador universus emersit, quo statim refectus fui &c. Merentur etiam cætera lectionem, sed quæ nimia Typographi festinatio addere non permittit.
DEo sit laus & gloria!

INDEX.

INDEX.

A.

- A** Bortus præfigia 75
Acidularum abusus & noxa 24
Albus Fluor vid. Fluor
A lphus 139. curatio 140
Anatome pueri membris genitalibus de-
stituti 227. aliis ex peste mortui 231
Aphonias febri continuæ accedens hæ-
morrhagia narium & vomitu critico
sublata 43. 44
Apoplexia 7. infantum 8. occasio ad il-
lam nimetas potus & ciborum 11. vi-
ta otiosa 12. somnus nimius 26. affe-
ctus animi 28. abusus pulveris sternu-
tatorii & fumi tabaci 24. 25. prodromi
illius 13. qui aliquando non adsumt
14. cum syncope complicata 17. cum
convulsionibus ibid. Signa inter dia-
gnostica rubor faciei & venæ inflatæ
18. Signa distinctiva ab affinibus affe-
ctibus 15. signa salutis 18. mor-
tis 21. transitus in alios morbos 20.
quomodo præcavenda 12. ratio me-
dendi 33. sq. apoplecticorum sectiones
post mortem 30. 31. methodi antiquo-
rum cum nostra hodierna compara-
tio 36
Appetit⁹ depravatus 118. ætiologia ob-
scura ibid. satiatus gravidis minus nocet,
ast multum puellis & non gravidis 121
Aristolochiæ rot. vires in ulceribus. 182
Arthritis 45. 132. 223. vita sedentaria ad il-
lam disponit 45. 46
Asthma Senum 220. ortus ibid. cura 221
Atrophia infantum 128
Aurum fulminans infanti cuidam fune-
stum fieri visum 109. in præparatione
♀ tantillum amovendum 110

B.

- Balsami ♀ terebinth. usus internus in exul-
cerationibus anceps 181

- Bubones Venerei, 197. origo ib. cura 201

C.

- Cachexia mulierum 217
Calculus in uretere hærens. 144
Cantharidum tinturæ usus suspectus 161
Cardialgia 151. remedia ejus 153
Carminativis calidis circumspete uten-
dum 52
Castratio herniosorum pluribus fune-
sta 101. ignorantiae anatomicæ debe-
tur 101
Catarrhi 53. eorum egregium remedium 53
Chamomillæ vires in cardialgia 153
Chlorosis mulierum 217. remedium 218
Cholera 122. methodus curandi ibid. no-
xæ ex adstringentibus 125
Cœliacus fluxus 125. ætiologia 126. re-
media ejus 127
Constitutio vernalis ejusque morbi 54-55
æstiva 114
autumnalis 121
hiemalis I
Cortex peruvianus febris suppuratoriæ
variolarum remedium 6
Crisis per abscessum cuticulæ 139
Cura omnium florum 112
vernalis 103. quibus vulgariter absol-
vatur 104. non omnibus utilis vel
necessaria 104. quomodo celebrata 105
- D.**
- Decoctum lentium in variolis quibus no-
ceat 5
Deglutitio solidorum quandoque facilis
quam liquidorum peracta 99
Delirium melancholicum perioticum ex
dolore pollicis pedis sinistri 45
Dolor aurium 37
oleorum in illo noxæ 39
nephritici doloris cum calculo confu-
sio in praxi nociva 3. 4
Scapularum 173. ratio curandi felix 174
podagricus 56
- Gg. 3

INDEX.

ventriculi	47	ne ibid. methodus curandi nova felix	63
Dysenteria	171	Hæmorrhagia critica	175
	E.	supressa apoplexiam causatur	27
Epilepsia	115	Hernia scroti singularis 100. ejus novum	
	F.	genus 103. curatio	ibid.
Febri ardente laborantes scorbutici quæ		Hieræ simplicis Gal. vires emmenagogæ	69
patiantur	88		
continua febris hæmorrhagia critica		Hydrops ascites cura omnium florum ab-	
soluta	44	acta	113
diuturnæ febres	115	uteri	212
hæmorrhoidalis	208. seq.	I.	
intermittentes mali moris	134	Ignitorum ferramentorum efficacia in a-	
purpuratæ Scorbuticæ	136	poplexia	33
quartanæ 183. Oium digestivo-		Impotentes non facit sectio venæ post au-	
rum in iis vis magna 184. it.		res	150
noduli	ibid.	Impotentia in viris robustis 145. illius	
maligna 40. quatenus in hac V. S. lo-		causa obscura	146
cum habere possit	42	Incubus gr. ætiologia 82. curatio 83. pro-	
purpurata miliaris	190	gnostica	ibid.
quintana & septimana	205	L.	
octana unde	207	Leuce	140
Flatus 47. his causæ occasione non		Lienteria 129. ætiologia 130. methodus	
producunt sine inæqualitate toni in-		cutandi	131
testinorum 47. e qua substantia oriun-		Liquor CC. succinatus egregium medica-	
di 50. illorum non prodeuntium in-		mentum	192
commoda 51. ratio medendi	ibid.	Lithotomia	157
Fluor albus 193. cura	193	Lumbricorum succi vires arthriticæ	132
	G.	M.	
Gonorrhæa mulierum quid 194. quomo-		Maculæ rubræ 140. curatio	ibid.
do a fluore albo distincta 195. an in		Scorbuticæ	173
hac prostatæ afficiantur 194. ejus cu-		Martialium doses exiguae utiliores largis	
ra	195	70	
Gravidæ aliquando medio gestationis		Medicamentorum non alteratorum ejectio	
tempore levi apoplexia tanguntur 12.		94	
earum fluxus sanguinis 73. quibusdam		Menstrua tam ex vagina, quam ex utero	
innoxius ibid. quinam periculosus 74.		emanant 76. menses tarde erumpen-	
fluxum præcedens anxietas abortum		tes 64. in quibus stimulandi 65. causæ	
notat 75. abortu tum instante non		occasionales quod tarde erumpant 65.	
conveniunt adstringentia ibid. sed hi-		consectaria symptomata 67. ex terrore	
ante uteri orificio promotio vel exspe-		suppressi 68. quæ symptomata subito,	
statio partus. 76. 77		& quæ lente suppressa menstrua exci-	
	H.	piant 71. 72. lumbrici complicati cu-	
Hæmoptysis 62. in ea sæpe dolor in lie-		ram	

INDEX.

ram difficilem reddunt 73. fortiora emmenagoga in succulentis sub molinibus data magis cohibent 69. nondolorum vires egregiae 71. balnea & pediluyia quibus specialiter conferant 71. menstruorum tam tarde quam subito suppressorum ratio curandi 72	destillata non addenda 108. O fulminans additum vim auget & tormina praecavet 109
Menthæ vis venerea 79	Purgatio a terrore superveniente impedita 68
Militum mutilatorum & mendicantium symptomata scorbutica 84	Pustulæ venereæ 203. cura 205
Morbilli epidemii 55. sub illorum finem tussis exorta purgantibus sublatæ 55	R.
Morbi crauti prima species 214. cura 216	Raucedinis V. S. præsentaneum remedium 99
N.	Rheumatici affectus 2
Nicotianæ fumi abusus & damna 25	noxæ sudoriferis valde calidis 3
vis insignis carminativa in clysteribus 51	antirheumaticum linimentum Lentilii 4
O.	Røthe Kuchen schneiden 151
Obesitas venereæ congressui non efficit 149	S.
Oculorum affectus 57	Sangvinis status raucidus medicamentis inemendabilis 13
adnatæ pustulæ 57. cura minoris apparatus commendanda. 59	Scorbutus 83
Oleum terebinthinæ quartanario una calcuoso funeste datum 185	milites mutilati quare ipsi adeo obnubili 84
Opii vis venerea 79	differentiæ scorbuticorum affectuum a reliquis 89
P.	ætiologia 89
Paralysis 191	cura 90
faucium & œsophagi 96. miserabilis illa exticti casus ibid.	V. S. quando vitanda, quando pro fit 90
pylori 95	dramatica emetica & purgantia fugienda 91
Peucedani calicis usus in podagra 56	amara acidiusculis miscenda 92
Filular. cephalico-hysteric. cum massa pilular. Ruffi usus in mensibus 69. earum descriptio 107. pilular. formula pro melancholicis egregia 108	saccharata absint 93
Pimpinellæ extractum bonum carminativum 53	Seminis excretio 77. quinam illi subjecti 78. cura 79. medicamenta nil proficiunt, nisi ab ideis libidinosis abstineatur 80
Piperis vires in præcavenda cardialgia 153	Senectutis varia incommoda 219. seq.
Pluviosæ tempestatis morbi 115	Sinapi vires stomachicæ 153
Pneumatosis 211. curatio 212	Spasmus fibrarum spiralium tunicæ ventriculi 98. œsophagi spasmodica striatura aliquando deglutitionem frustratur, neutiquam paralysit 98
Procidentia ani 141. cura 142	Spiritus tri insignis vis carminativa 53
Purgantium aliquot formulæ III. iis olea	Sterilitas mulierum 209. seq.
	Sternutatoriorum abusus & noxæ 24

Stra-

INDEX.

Strabismus 60. congeniti causa ibid. as- suetudinalis causa	61	Vini abusus	226
Stranguria senum	22	Vitæ vulgaris ratio saluberrima, ast fastidi- ta	66
Sudor post camphoram sumtam campho- ram redolens	175	Vitrioli albi vis magnetica experta in hæ- moptysi	64
Surarum cum capite consensus	44	veneris vires ophthalmicæ	59
T.		Vlcera sordida & mali moris	115
Tincturæ ♂ Ludovici vires 127. 153. rubræ Bontekoë vires	152	exulceratio renum	175
Tinnitus aurium 39. ejus indoles medi- camentis refractaria	40	cura	179
Topica in affectibus rheumaticis pruden- ter administranda	4	ulceratis renibus Λ + Θli & Θia no- civi	161
Tumores faucium & gutturis	115	ea defunctæ anatome	183
tonsillarum 54. evporiston in iis Joe- lis remedium	54	Vnguentum carminativum August. in ca- su ab alto egregium	164
V.		Volvulus 165. pulvis Joelis evporistus in volvulo	169
Variolæ 4. earum eruptio quoque fu- nesta	5	Vomitus 115. qui sedati 116. quibus medi- camentis ibid. malignarum quomodo curatus ibid. a tussi 117. ejus cura 118. vomitus & diarrhœæ scorbuticæ reme- dium egregium lac	85
Venæ sectionis & scarificationis neglectæ noxa	26	Vrethræ cicatrices falso pro caruncula habentur 156. catheteris in illis egre- gius usus	159
Venereo in congressu mortui	28	Vrinæ pus admixtum quomodo depre- hendatur	177
coitum impediunt animi affectus	147	suppressio 154. ætiologia ibid. cura 156. purgantibus aliquando soluta	164
Vesicatoriorum in suris usus salutaris in asthmate	44		
Vicissitudo caloris & frigoris	169		
quibus noxia	ibid.		
Moscis & Curlandis non nocet	170		

F I N I S.

